ΠΑΡΕΚΒΑΣΙΣ,
SEU
DIGRESSIO:
DE
VERA, UNICA AC PROXIMA CAUSA
FEBRIUM
CUM
MALIGNARUM ET PETECHIALIUM,
TUM
MORBILLORUM, SCORBUTI, LUIS VENEREÆ,
ET SIMILIUM MORBORUM MACULARUM,
Partim, ex Physicis, Chymicis ac Anatomicis Principiis demonstrata;
Partim Exemplis & Observationibus Medicis confirmata
Antidhac à nemine, quantum sunt qui de Febribus Malignis & Petechialibus commentati sunt, tradita.
NEC NON DE ACCURATA FEBRES HAS
CURANDI METHODO;
Auctore
SIMONE PAULLI, D.
Medico Regio Seniore; Primo in Regia Haffniensi Academia Anatom. Botan. & Chirurgiæ Publ. Professore.
Ab ipso Auctore Septuagenario majore pridem REGIA CLEMENTIA rude donato, recognita, aucta & iterato
EDITA.

M. DC.  LXXVIII.

ARGENTORATI,
Sumptibus Auctoris Filii SIMONIS PAULLI Bibliopolæ.

CHRISTIANO QUINTO REGNORUM DANIÆ AC NORWAGIÆ MONARCHÆ,

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

Benè vivere; Benè agere.

Σὺν Θεῷ.

QUoties ad Adoleſcentiam meam ultimam, mea memoria retrò reſpicit; Toties D. T. O. M. Or-

 phano-

phanorum Patrem laudibus gratiisque, devotisſimo pectore veneror, *Pſalmiſtæ Davidi Regi*, auſcultans ita nobis omnibus, univerſi hujus Orbis, incolis præcinenti:

Mens D*EO laudes cane, redde grates*
Mens D*EO; nullis benefacta Seclis*
Excidant, & quæ tribuit benignâ
Munera dextrâ,

dum, me ſeptennem Matrimum, in hanc uſque horam in ſui laudem & honorem, ſupereſſe clementer voluit. Qui revera comperi Chriſtianus; *Non univerſo generi hominum ſolùm, ſed etiam ſingulis* à DEO immortali, Domino Dominantium *provideri ſolere*. Nam Patre meo *Henrico Paulli*, S. R. M. ac DNÆ.

DNÆ. SOPHIÆ, DANIÆ AC NORWAGIÆ REGINÆ BEATISSIMÆ MEMORIÆ, quondam Archiatro, orbatum, HÆC HEROINA, me ſibi adſcivit alumnum, ut, *cum optimum ſit Parentum veſtigiis inſiſtere, ſi rectè præceſſerint*, ego non degenerarem à Parentis virtute, ſed ad illius gloriam ac dignitatem, poſſem aſpirare.

Ego interim, SERENISSIME AC POTENTISSIME REX, AC DNE, DNE CLEMENTISSIME, hâc vitæ meæ cataſtrophe, cum nemo ſibi vitam, vel in craſtinum polliceri habeat, in præſens hunc meum Commentarium iteratò editum, de *Febribus malignis*, S. R. M. Tuæ, humillimo ſubjectisſimoque animo, ideo inſcribo & obfero, ut, cum nec dum publicum ullum

monumentum exſtet, S. R. M. Tuæ, à me dicatum quo debitum meum cultum, & parem obſervantiam teſter, hic commentarius, indicina gratisſimi animi ac pectoris ſit; dum per Regiam Tuam ſingularem Clementiam, faſtis dignisſimam honeſtisſima vacatio, ob grandævam meam ætatem, ex voto mihi contigit: uſque adeo, ut toti orbi me Præcone innoteſcat: Me ceu in Prytaneo hîc, *ſingulari Tua Regia Clementiâ*, interveniente, ali; nec *olim Lacedæmone ſolum fuiſſe ſed quoq; hic Haffniæ hodiè* honeſtisſimum eſſe domicilium Senectutis.

Quare SERENISSIME AC POTENTISSIME REX AC DNE, DNE CLEMENTISSIME, ne acceptorum beneficiorum, ultimâ hâc Sene-

Senectâ meâ, immemor videri queam, A PROAVIA TUA DIVA SOPHIA; AB AVÒ TUO DIVO CHRISTIANO IVto; A PARENTE TUO DIVO FRIDERICO III; ac à Tua ipsius SERENISSIMA CLEMENTIA mihi confertim collatorum; Hinc destitutus aliis donariis unicum hoc, SERENISSIME POTENTISSIME CLEMENTISSIMEQUE REX AC DNE, ad Regii Tui Throni gradum infimum depono, demisſisſimè ſubjectisſimeque. S.R.M. hoc loco, calami mei ſubſidiô, publicitus exoraturus, ne id ſpernat, ſed clementer reſpiciat ac tolli id jubeat; DEUM T.O.M. calidis precibus jugiter veneraturus: *Servet S.R.M. Tuam, Daniæ ac Norwagiæ Regnorum Monarcham, Neſtoris in an-*

in annos; ſervet Sereniſſimam Reginam, Suaviſſimam vitæ Sociam, Reginarum Exemplar. Servet Regiam veſtram familiam, atque adeò ut vigeat, floreat, perennet in ſecula. In quo pio voto, bono omine devotisſima mente, deſino, vitæ ſatur; ſextum ſupra ſeptuageſimum, ætatis meæ agitans annum; praxin medicam DEO benedicente operi manuum mearum, per quadraginta & octo annos exercens,

S^æ^. R^æ^. Mis. T^æ^.

Humillimus devotisſimus
Subjectiſſimusque
Servus ac Medicus

Simon Paulli D.

Ad
Consummatæ Eruditionis
&
Experientiæ Senem
D.D. SIMONEM PAULLI,
Archiatrum Regium Seniorem,
Collegam & Amicum honoratissimum,
LXXV. ætatis anno
De Febribus scribentem
Hafniæ cIↃ IↃC LXXVII.

Lustra per applausus ter quinque expleta recursant,
Et totidem ingenii das monumenta tui.
In senio juvenis febriles discutis æstus,
Quam caleas vegeto pectore, penna docet.
Scribuntur Libri, Floræ depingitur usus,
In Te sed monstras quid valet arte DEUS.
Enitens tantos, genii nova robora, fœtus,
Indicium senii non morientis erit.
Vivere perge Senex, Medicorum splendor, ut inter
Tædia vivendi, vincere fata queas:
Cum canis candor, proprius Tibi porrò perennet,
Publicus &, canos quo tuearis, amor.
Vivere sic laudi est; sic doctis scribitur annis
In Te sic vultus cernit Apollo suos.

σχεδίως f.

Thomas Bartholinus
Sexagenario major.

Ad

Celebratiſs. & Ampliſs. Virum

D.D.SIMONEM PAULLI

Archiatrum Regium,

cùm

in ultima ſenectute non deſineret

ſcribendo & commentando.

benè de poſteris mereri.

ERgone limandis nunquam laſſabere ſcriptis?
Quodque tua emendet regula, ſemper erit?
Gloria Phillyridum! proprium ne Regentibus illud;
Plus ultra, in PAULLO continuabit iter?
Svadet jam pridem ſenium venerabile pauſam,
Et requiem capitis promeruere nives:
Quid reliquum, partos niſi dinumerare triumphos?
Et legere ex ſcriptis ſerta decusque Tuis?
Tu tamen admotâ juveneſcere cerneris urnâ,
Atque inter taxos laurus honora viret.
Vos, ô Vos taxi procul hinc, procul ite cupreſſi
Nullus adhuc letho, funeribusque locus,
Hîc ubi ſe calamus PAULLI experientiaq; infert,
Et librat curâ floridiore ſtylum.
Nil opus, ut grandis natu renovetur aheno,
Quod Medea nequit, dextra SIMONIS agit.

l. m. q. p.

Olaus Borrichius.

Ad

Ad
Celeberrimum Virum
D. D. SIMONEM PAULLI
Medicum Regium
Affinem & Amicum Magnum,
doctissimum suum Commentarium
de Febribus Malignis
denuò auctius edentem.

SÆva Lues, vacuo quæ tot simulacra cerebro
Objicit, & Patriæ sæpe maligna fuit:
Quæ celerem inspirat per membra furentia mortem,
Et fatis haurit sæcula nostra suis:
Narratur jam tota Tuo VIR MAGNE, Libello
Qui damnum Parcis opprobriumque facit.
Hîc vacui Calamo reparas dispendia mundi;
Hîc celeres medica protrahis arte colos.
Ipsa furens toties tanto Germania morbo,
Vivere nunc demum se rediviva putat.
Macte animo! Senioque precor, venerabilis ipso,
Ut doceas alios vivere, vive diu!

dab. Argent. d. 29. Mart. 1678.

CELEBERRIMO NOMINI TUO
addictissimus

Johannes Bæclerus
Com. Pal. Cæsareus & Medicinæ Doctor.

In Effigiem & secundam Editionem
DIGRESSIONIS DE FEBRIBUS,
Summi Viri
D. D. SIMONIS PAULLI,
Potentissimi Daniæ Regis Medici Grandævi.

Effigies PAULLI velut est suffulta columnâ,
Ars Ejus solide sic quoque fulta viget.
Hinc est, quod pridem DIGRESSIO sparsa per orbem
Ejus, tot Febres arte fugare docens,
Laudibus Alcidæ jam sit transgressa columnas;
Nec quo plus ultrà digrediatur habet.

æternæ observantiæ signum
Joh. Joachimi Bockenhofferi
Argentoratensis, Nepot.

Argent. XXIV. Octob.
CIↃ IↃC LXXVIII.

In Excellentissimi atque Experientissimi
DN. D. SIMONIS PAULLI
Trium Potentissimorum Regum DANIÆ ac
NORWAGIÆ &c. Medici felicissimi &c.
DIGRESSIONEM.
De Febrium Macularum causa.

IN cute purpureas ardentis febris oriri
Fixato maculas à *volitante sale*;
PAULLIADIS docet arte novâ digressio, curâ
Quæ geminâ lucem nunc reparata videt.
Mirandum inventum! dignum cui Purpura REGIS
DANORUM faveat, cui faveatque Polus.
Ecce favent ambo: Fama & Clementia Regis
Fixas ad stellas TE *volitare* jubent.

Observantiam Exc. Dn. Autori
his testari voluit
Johannes Hardovicus Hampe,
Gœttingensis.

Argentorati M DC LXXVIII.
26. Octobr.

PARENTI GRANDÆVO
SEPTUAGENARIO MAIORI
SIMONI PAULLI
DOCTORI MEDICO,
Commentarium ſuum
de
Febribus Malignis,
iterato edenti,
applaudentes gratulantur
Quinque *ex Octo Superſtitibus* Filii.


PAULLINORUM SVERINENSIUM.



In Effigiem
Viri Celeberrimi
D.D. SIMONIS PAULLI,
Regij Medici et Prælati
Aarhusiensis.

Cernite fulgentes, PAULLI, nigrore capillos,
Horridulasq Senis, sed sine labe, genas.
Cætera quæ pectus condit, quæq ora profantur,
Lilia sunt, tenerâ candidiora nive.

Th. Bartholinus.



SIMON PAULLI. SIM: N: HENR: F: naſcitur RoſtochI. Aō. 1603. Renunciatur Ibidem Med: P.P. Aō 1632. In Reg: Hafnienſem Academiam, Regnante CHRISTIANO IV Anatom: Chirurg: ac Botan: studia Aō. 1639 introducit. Rerum verò potitô FRIDERICO III. ijs ſe abdicat, et stipendia Regij Medici meretur. Natus Annos 63.

Carel v. Mander Regis pictor. Alb. Haelweeh Regis Sculptor Ao 1666.

In
Editionem Novam
Commentariorum Medicorum
Cariſſimi Domini Parentis
D. SIMONIS PAULLI
Ejusdemque
Inſignia Gentilitia.

HOc animo, Venerande PARENS, Tibi volvituruſque,
Ut prodeſſe velis, dum Tibi vita manet.
Hiſque DEUS facilem ſe cœptis præbet, & annos
Arte tuâ, hinc ægris prorogat, inde Tibi.
Arte tuâ, quâ nos docuiſti noſcere Febres,
Et quicquid ſani terra benigna tulit.
Atque adeo atroces ſic poſſe eludere Parcas,
Quæ dextram, & niveum pectus & ora ſtupent.
Pro tantis meritis, Tibi ſume ex *Glande* Corollam,
Sume etiam rubris *Lilia* miſta *Roſis*.
Quæ data jampridem PAULLINÆ Inſignia genti,
Sed poſt fata tuæ buccina laudis erunt.

f. Hagæ-Comitis
Jac. Henricus Paulli
octo filiorum natu maximus.

Uber

Uber
Die vornehmste Außgegebene Schrifften Seines Hertzgeliebten Vatters/ Herrn
Dr. Simonis Paulli
Ihro Königl. Maj. zu Dännemarck und Norwegen 2c.
Aeltesten Leib-und Hoff Medici und Prælaten in Aarhusen.

Kling-Gedicht.

SO ist es nicht genug daß Flora dir verbunden?
Durch die entdeckte Krafft der Blum- uñ Kräuter Welt/
Die dein vier-theiler-Buch in seinem Schoos enthält/
Das durch vier Theil der Welt längst Raum und Ruhm gefunden.
Du bist durch dis/daß du gezeigt/wie manche Stunden
Taback mißbrauchet wird/dem Nebel abgesellt;
Aus der zergliederung an Menschen angestellt
Und mancherley Gethier/ scheint dein Natur-erkunden.
Als Alexander dort Bucephalum zuritt/
Muthmaßte man daß Er ein' andre Kron' erstritt;
Was wird deins Königs Pferd dir noch zu wegen bringen!
Und ietzund/da du lehrst/wie man die Fieber heilt/
Wird Dein Gerücht mit Gold in Marmor eingetheilt/
Die Parcen möchten drob aus gelbem Neid zerspringen.

16. Junii 1678. ipso die natali XL.

Simon Paulli/
Burger und Buchhändler in Straßburg.

Uber
Die Zweyte Außgab
Der Gedancken
Von den Flecken-Fiebern
Seines Hertzgeliebten Vatters

Hr. D. Simonis Paulli

Ihrer Königl. Majest. zu Dennemarck
und Norwägen ꝛc.
Hochbetrautem Leib Medici und
Prælaten in Aarhusen.

An den Liebhaber dieses Buchs.

DEncke Leser diesem nach/ was hier der Urheber schrei-
bet/ (treibet.
Wie man sich verhalten soll / wann das Fieber Flecken
Oder sonst beschwerung machet ; Richte kecklich deine Sach/
Dieser Kranckheit abzuhelffen/ seinem gut bedüncken nach.
Du wirst hier in dieser Schrifft mit verwunderung befin-
Wie sich Wissenschafft uñ Kunst uñ Erfahrenheit verbinden/ (den/
Du darffst sicher denē Mitteln trauē die Er dir fürschreibt/
Sie thun ihre Wirckung richtig: wañ nur Gott Mithelffer bleibt/
Dessen grosse Wunder-Kunst aller ärtzte Kunst muß weichen;
Dann gewißlich mancher müst' an der Fieber Seuch' erbleichen
Wenn des Höchsten sondre Hülffe offt nicht was besonders thät.
Unterdessen wird der Aertzte Kunst hiedurch gantz nicht ge-
Weil Gott aller ärtzte Artzt dir es selber hat geheissen/ (schmäht/
Daß du Aertzte/ als Geschöpff' Gottes sollest würdig preisen
Und daß umb der Nohtdurfft halben; darum̃ gib ihn Ehr'
Der den ärtzten zugehöret/ in dē hohē Alterthum. (uñ Ruhm

Copenhagen den
23. May 1678.

Daniel Paulli /
Königl. Buchhändler.

Laurier Tack,

aen

De Heer Simon Paulli

Seyne Koonig: Mayt: van Deenemarck ende Noorw: &c.
hoog betrouden ende ouſten Lyf Medicus,
Kintlig oovere; kende, doen hy op perſuaſi dat de Eerſte
Editie van ſyn

De Febribus Malignis

Al uyt verkockt ende in Italien ſeer getrocken wierde
van nieuwem verbeetert
her voor gaf.

DUs klimpt de SON omhoog, dus ſiet men 't al heer leeven
En PHOENIX uyt het GRAF, veel ſchoonder als te voor
Wien kan dit DEFTIG WERCK, ſyn rechte Luyſter geeven
Naer eyſch en naer behoor,
Het EYKEN LOOF, op 't Hooft der eel-ouden GREYSEN
terwyl heur LOF in't Doncker Leyt te ſlaep
Wort meer en meer vervvelckt, met het vvaerdig preyſen
Den AUTHOR van dit BOECK onſſen ÆSCULAEP.
in dienſte van IUPYN.
Hoe kan het anders ſyn?
Dan dat men hem Een Tack van Loueren moet reyken
tot ſeegeprael van ſyn door luchtig Kunſt.
De DOOT die 't al verniekt, moet ſyne SCHRIFTEN vveyken
Nu FAMA uyt plicht betoont hem haere Gunſt:
Soo lang man Bloemen heeft,
En, SYNE-FLORA Leeft,
Bleyft PAULLI Naem int NOORDEN euvvig groen:
En mits ook ſyne kunſt, ſuyver ſonder ſmette
in ROOMSE TAEL, tot der Geleerden Roem
is bekent gemackt: hoort men ſulx uyt trompette
En by geſaemner Hant
Syn ſilver Hairig-kruyn voor't RONDE-RONT vertoonen:
Een eyder roept Luyt uyt! SYN KOUDE CIMBER LANT
Dat Leyt gebreck van LOOF; om ſulk een KRUYN te Croonen.

Copenhaven A. 1678.
den 8. Iunij.

Oliguer Paulli
Premier Commis des Comptes de la Compagnie
Royal des Indes Occidentales de Dennemarc.

Grandævo

Grandævo
Domino Parenti
D. SIMONI PAULLI
Anno Ætatis ſuæ
Septuageſimo Quinto,
Iteratò
Commentarium ſuum
De Febribus Malignis
edituro.
L. M. G.

INdefeſſâ Tibi mens eſt calamusque, Juventam
Sic nunquam exhauſtâ ſedulitate doces.
Sperne minas Fati, *Genitor*, tua ſcripta ſenile
Eripient triſti conditione Caput.
Qui vivus gaudes faſtidiviſſe quietem,
Huic nullam in tumulo fama diſerta dabit.

Londini Anglorum
14. Junii 1677.

Filius
Chriſtianus Paulli.



GRATU-

GRATULATIO
AD
NOBILISS. AMPLISSIMUMQ. VIRUM
D. SIMONEM PAULLI
H. FIL. S. NEP.
AUGUSTISS. III. DANIÆ AC NORVAG.
REGUM
CHRISTIANI IV.
FRIDERICI III.
CHRISTIANI V.
ARCHIATRUM,
PRÆLATUM AARHUSIENSEM, PRIMUM
ANAT. CHIR. ET BOTAN. OLIM IN REGIA
HAUNIENSI ACADEMICA P.P.
ET HOC TEMPORE,
ARCHIATRORUM REGIORUM SENIOREM,
AD ANN. XLV. SALUTAREM ARTEM
EXERCENTEM FELIC.
IN AUSPICIIS. ANN. CHRIST. cIↃ IↃc LXXV.
QUO BREVI VITÆ LXXII.
ABSOLVET,
BONI OMINIS AMICITIÆQUE CAUSA
HAMAURGO II. JANUARII MISSA
AUCTORE
MICHAELE KIRSTENIO.

PHoebe condona, pofitum repofco
Barbiton, coguntnimium faventis
Vota PAULLINI, citius viciſsim
Phœbe reponam.

Qui diem promis radiante vultu,
Qui creas in ſe redeuntis anni
Lucidos orbes, tua pervagatus
Ordine ſigna:

Qui foves idem Medicos, & auctor
Artis es ſacræ, mihi cerne, quæſo,
Cerne PAULLINUM, tuus eſt, tuoque
Fulget honore.

Vivit, & ſeptem decies duosque
Jam ferè vitæ numerabit annos,
Janus applaudit novus, utriusque
Conſcius ævi.

Artis eſt vultus decus Æſculapi:
Longior vitæ vigiles miniſtros
Vita commendat, ſpecimenque veri
Eſt Senis ætas.

Hæc

Hæc tot annorum bona gratulamur
Rurſus, & Phœbi redeuntis ortus
Sæpè felices, cumulata mitis
Munera cœli.
Quod favent magni nitidiquè ſoles,
Qui regunt terras, quoque gratulamur,
Auctor eſt princeps DEUS, eſt ſecundus
Ortus ab illo,
Inſtar eſt Solis, bonus & ſerenans
REX, ſuis. PAULLI, ſatis hoc beatus
Es ſimul: Virtus tua ſumma fauſtô
Sidere vincit.
Tu trium, rara bonitate fati,
DANIÆ REGUM, celebris Machaon
Diceris. Cedes nihil hoc *Cratoni*,
Auſtria felix
Imperatorum veluti Galenum
Quem trium mirans habuit ſecundum.
Rara præcellunt. Tibi CHRISTIANUS
QUARTUS, agendo

Acer, & Regni FRIDERICUS Atlas
TERTIUS favit: tibi CHRISTIANUS
Nunc favet QUINTUS, propriâ ſupremus
Sorte Monarcha.

Eminet cœli favor atque Regum,
Non iis gaudet, niſi magna virtus,
Quæ ſuis præſtat meritis, honorum
Luce coruſcâ.

Tu rei vindex medicæ, ſciendi
Auctor & dextrâ validus ſecante,
Et potens herbis, viridisque Floræ
Cultor, & artes

Non ſatis notas reperire ſolers:
Queis levas ægros, & adhuc valentes
Adjuvas: morbos caput impetentes
Fonte refoſsô,

Vincis imprimis, vitiumq; nervos
Occupans arces. Magis at monentem
Te, genus Pyrrhæ, faciles amabunt,
Commoda doctæ

Virgi-

Virgines, nuptæ tibi dona reddent.
Stabis ex fuſo potius metallô
Cynthii juſsu, Pariove Saxo
Poſteritati.

Hoc ſit extremum, tibi quod canebam:
Se ſatis prodit, fugiens Camæna:
Me lupus vidit. Veteres novanti
Parce querelas.

Perditæ vires, animiq; PAULLI,
Et mares Muſæ ſtrepitus Latinæ
Deficit Vatis tuba Mantuani
Magna ſonantis.

Luditur Sapphus mediocre Carmen
Aptius, credo: Redit ad jocoſa
Et leves auſus, gravibus relictis
Grandior ætas.

Sed (niſi ſpernis vetuli clientis
Fraudis expertes monitus) labores
Mitte, concedens requiem ſenectæ
Otia menti.

Eſt minor puncto ſpatioſa vita,
Quidquid hic magni ſtruitur puſillum:
Cuncta ſe nitens animus DEOq́;
Poſſidet æquus.
Vive, quod reſtat fugientis ævi:
Quidquid extremo ſupereſt in actu
Lene decedat, nihil exeuntis
Vota moretur.
Quod facis, cedens, iterare pergas,
(Sed tamen ſerô cupimus) FAVETE
O BONI, NOSTRI MEMORES, VALETE,
PLAUDITE, VIXI.

GALEN. de Usu Part. l. 12. c. 6. p. 736. lit. A B.

Non liber hic lectorum poterit habere delectum ac judicium; neq; ab indocto quidem fugiet, docti vero manibus se ipsum inferet. Quin et Opifex nostri cum hominum ejusmodi ingratitudinem habe: ret exploratissimam, non tamen à sua fabrica est deductus. Præterea Sol ipse horas anni effi: cit, fructusq; perficit, non curans (opinor) neq; Diagoræ neq; Anaxagoræ neq; Epicuri neq; alterius cujusvis calumnias. NEMO ENIM BONUS QUIDQUAM INVIDET, SED OMNIA IUVARE ATQUE EXORNARE SOLET. *Pari modo et nos cum compertum habe: remus, librum hunc in sexcentorum hominum re: prehensiones ac calumnias incursurum, non aliter quam puerum orphanum, qui in manus hominum ebriorum præ stultitia et intemperantia inciderit: scribere tamen paucorum illorum caussa aggredie: mur, qui ea, quæ dicuntur, accipere recte, ac dijudicare possunt; atq; ad eos præsens sermo pertinebit.*



Est Invidorum culpare Bonos.

Invidia ad splendida e[st] nititur

Mopsule, quum vivum nequeas discerpere cygnum,
Allatrando canem te tamen esse probas. Chr. Paulli

Alb: Haelwegh Regius Sculptor Hafniæ

Bibliopola Benevolo Lectori S.

Cum distractis pridem DIGRESSIONIS *hujus de* FEBRIBUS *exemplaribus, sæpiuscule à doctis Viris, & ex his præcipuè Italis, hortatus essem ut eandem inpublicæ utilitatis fructum denuo prælo subjicerem; cœpi à Domino Parente meo precibus contendere, ut, si interea priorem Editionem hinc inde variis additionibus locupletasset, aut alicubi quædam mutasset, eam de integro typis describi pateretur. Quum itaq; id à paterno adfectu Ejus facillime impetrassem, quo nitidior commodiorq; hæc* Secunda Editio *prodiret,* Indicem rerum & verborum *curâ* DN. JOH. HARDOVICI HAMPII, *Gôttingi Sax. Medicinæ Doctorandi dignissimi confectum, ut &* alterum Autorum *annectere voluimus. Quod si tenui hac opellâ quid præstitum est, quo studiis tuis aliquid commodi accedere poterit, erit id mihi pergratum. Vale.*

Σὺν Θεῷ

ΠΑΡΕΚΒΑΣΙΣ

Seu

DIGRESSIO DE FEBRIUM MALIGNARUM ET PETECHIALIUM VERA, UNICA ET PROXIMA CAUSA,

instituta

à

SIMONE PAULLI,

Dum præ manu habebat, aut DEO juvante abhinc viginti circiter annos, adornabat secundam editionem Quadripartiti sui Botanici, inserenda ejusdem Classi Tertiæ, seu Æstate florentium Herbarum lit. H. post Historiam Hepatorii adulterini, *seu* herbæ Kunigundis:

iteratò, seorsùm & auctior edita.

§. 1.

HErba Gerardi, German. Strentzel / Hinsus / Hinlauff / Geißfußel / Gersete / Danicè Squalder-Kaal / Gerhardi-Urt / *Angelica sylvestris minor, sive erratica Bauhini.* Magnæ quidem existimationis aut census, Angelica hæc non est, ita ut reticere ejus memoriam commodè possem; ni esset vel aniculis lanâ ac telâ victum sibi quæritantibus, notissima planta, quæ ex eâ tenera adhuc, Hederâque terrestri, itemque urticâ herbescenti ac vernanti, similisque generis herbis, circa æquinoctium vernum serius ocyus, cinnum aut pulmen-

tum, seu vulgus in meâ Patriâ Megapoli loquitur: Einen Kohl van negen/oder van allerley Krüderen / concinnant; quod, nonnulli auscultantes anilibus gerris, ipsô Palmarum die superstitiosè coquendum præcipiunt, ut præservemur, nescio, à quibus malis. Advertendum tamen, nec priscos Medicos, neu ægros sprevisse ejusmodi olerum usum, imò vel in morbis gravissimis. Sic *Scribonius Largus libro de compos. medicam. cap. 23. p. 61.* præcipit, secundum Antidoti Hieræ Pacchii usum, *seu illius purgationem, epilepticis esse dandam* (bis enim aut ter spumosa & glutinosa dejiciunt) *ptisanæ cremorem, olera lenia ex urticâ & lapathô, malvâ factâ, torpedine interdum admistâ, & cum exiguo pane, aquâmq; potui*; in quem perdoctas emendationes, notásque *Nostratis* JOHANNIS RHODII *Viri Celebratissimi*, *Affinis nostri, cùm superstes esset, honoratissimi*, quibus eum magno Eruditorum applausu & ex voto illustravit, Medicinæ Candidatis studiosissimè commendo. Ubi ergo stolida abest superstitio, non est improbandus vel hujus Herbæ Gerardi, quam tractamus, vel similium olerum, imò etiam frequentior ad priscûm imitationem, usus. *Vide Historiam Lactucæ & Malvæ in Classe tertiâ Quadripartiti mei Botanici.*

§. 2. Verumenimverò utut non solùm non improbo usum olerum, sed quoque eundem commendo, ita, præsertim verno tempore, cùm pullulant adhuc herbescente viriditate hæ oleraceæ aut similes herbæ culinariæ, necdum accuratè ab invicem dignosci queunt, maximè earũ habendus delectus est, ne noxias pro salubribus, aut pro medicamentosis venenatas legamus, cujus rei insigne exemplum haud temperius, quàm hic loci recensere unquam potero: Annus agebatur supra millesimum & sexcentesimum quinquagesimus primus, cùm mensis Aprilis vigesimô tertiô die, horâ imminente duodecimâ, unâ cum *Socero meo venerando, jam p. m.* JACOBO FABRICIO accumberem, dum solitô importuniùs tintinnabulô ad ostium ædium mearum signũ datur, cujus rei novitate perculsus, non testudineo gradu procedo ad ædium aream, in quâ jam à famulâ intromissum offendo subsistentem gregarium, hujus urbis, mihi ignotum Civem, conquerentem, in sibi vicinâ domunculâ, Capitaneum ab esu Crambes, jam exanimatum propter conjugem humi super strato jacere, eámque & aliam, prærer eam viduam, in agone esse constitutas; qui perofficiosè me rogare, ut illarum sortis misertus, studiô consilioque meo illis non deessem; non enim se audere me rogare, ut ad ipsas inviserem. Ego accepto hoc nuntio, respondere: me absentem ipsi explicare haud posse, factu quid esset optimum, imò morbi magnitudinem requirere omnino Medici præsentis salubre consilium. Abeo ergo è vestigio, hoc Cive comitatus, ad angiportum quoddam die Endelöse Straffe per antiphrasin sic dictum, cùm non sit pervium, exitusque illi nullus pateat, sacco capaci simili. Conscendo in modò dicto angiporto, domunculæ trium passuum cubile, in quo præter solitudinem, inopiam & Empedoclis elementa:

Ignis,

Ignis, Aqua, & Tellus atq; Ætheris ambitus almi,

nihil erat viſui; horrendâ verò ac luridâ facie ad pedes meos proſtratum cadaver Capitanei, unà cùm moribundis geminis viduis, aut certè conclamatæ ſalutis inveni Nam illæ ipſæ, adeò languebant, ut palpebras non attollere, membra non flectere, vix fari poſſent, rogantes, ſolùm; ſibi ſomnolentis dormire ut liceret. Alterutra verò illarum & ea, quæ pridem extulerat maritum, voce faucibus hærente, linguâ tremulâ, facti ſpeciem recenſere occipiebat, interim dum ad carpum pulſum exploro, ut τὰ δέοντα procurarem. Erat verò is eo in tenore, ut ipſas arterias obdormiſcere, ut ita dicam, dixiſſes, aut adeò certè languidus, parvus, ac tardus erat, ut ad tactum unum Phonaſcorum, pauſa trium exiſteret, ſeu trium pulſuum quies intercederet, quàm ſemel ad apices, aut pulpâ digitorum, reſilerent arteriæ. Conſilio & ſaluberrimo, & præſentiſſimo alexipharmaco indigere ægras, palàm erat. Dubius interim animi, ego indagare, quantum licebat ſummâ urgente neceſſitate, in cauſam necis Capitanei & dubiæ vitæ paupercularum viduarum: quarum altera, quæ fovebat adhuc latere ſuo mariti cadaver, conniventibus palpebris, (lugubri ſanè ſpectaculo) fari, ac dicere: maritus hic meus, me ſuam Conjugem herì exorabat, ut ſe vellem comitari rus abiturum, lecturumque herbas conquendæ crambi medicatæ, ſeu pulmento zum Kohl von neun Kräutern/verno tempore, ut ille doctus erat, ſalubri; Ego verò morigera marito, non ſolùm conditionem accepi, ſed quoque comitem nobis adſciſſimus incolam hujus domunculæ hanc viduam ex adverſo decumbentem: quæ utræque interruptîs ſermonibus, Mihi, cùm quæſiviſſem ex illis, quas, & ubi legiſſent herbas, reſpondebant: nonnullas ruri, ceu pabulantes, nonnullas ex hortis collegimus; ut erant: Herba Gerardi, Hedera terreſtris, Urtica, Chærefolium, Braſſica ipſa, Barbarea, Petroſelinum, nec plurium recordamur; quibus, Ego regerere, atque ob harum herbarum nullam, vobis aut Capitaneo mors in olla apparuit. Circumſpiciebam cubile undique, & adverto hinc inde ſparſa jacere ſuper pavimento illius, coſtas herbarum, à quibus folia ſtrinxerant, quas accuratiùs ubi luſtro, videbar mihi deprehendere inter illas, herbæ Cicutariæ præſegmina nonnulla. Mox obteſtatus ſum, & quidem per fidem, vitàmque ipſas, ingenuè mihi faterentur, anne recordari aliarum plantarum poſſent, ex quibus pulmentum ſibi paraſſent, quàm quas modò recenſuiſſent. Tum me & aliîs arbitrîs, alterutra alteram compellabat, inquiens: recordaris etiam, ſoror, nos unum itemque alterum pugillum Cicutariæ [Kalverkrop / ſic enim Cicutaria in Megapoli, & Pomerania, unde erat oriunda, vocatur] conjeciſſe nos in acervum aliarum herbarum. Atque ego; quô animô id factum eſſet: reſpondebatur: fertur inſigniter prodeſſe ad hepatis calorem temperandum. Sed Ego: malùm! Hæc fundus veſtræ eſt calamitatis, hæc neci fuit marito: Quas conſolabar interim, rogabámque aſtantes, ne ſinerent eas obdormiſcere, ac eis

pollicebar, me velle curriculò abire ad *Regium pharmacopolam, compatrem, & amicum ſingularem* Dn. Esaiam Fleischerum exorandum, ut gratis, his egenis ac inopiosis consilij, medicamenta ſufficeret, & verbô quoque exoravi. Præſcripſi verò iis hunc hauſtulum, cujus deſcriptionem in gratiam φιλιάτρων, & declarandæ erga ipſos benevolentiæ, ſignum, publici juris hìc facio: *℞. Aqu. Charefol. Card. bened. an. ℥jß. Aqu. Antidotal. Matth. ℥ß. Theriac. Androm. vet. ℈ij. Salis volatilis. C. C. ℈ß. Mixtur. ſimplic. ʒß. Syrup. de Scord. q. ſ. ad edulcandum, miſce fiat l. a. hauſtus, præparetur in duplo, & detur qualibet doſis ſeorſim in vitro, vel fictili:* quem hauſtum juſſi propinare ægris caldum, ut poſt dein ſudarent largiter, & DEI gratiâ ambæ hæ, ab illius uſu ſervatæ ſunt. Quippe quæ, cùm ad quartam veſpertinam ad ipſas reviſiſſem, quid agerent, ſe, jam, DEO benedicente, poſt largiſſimum ſudorem perbellè valere, fatebantur à prioribus recenſitis ſymptomatis omninò immunes; modò non ſitis, ac ructus ſtomachi, piſces corruptos ſapientes, ac redolentes, ipſis permoleſta eſſent, quorum ſymptomatum causâ, & ut, ſi quid maligni à ſumptâ cicutariâ, aliis oleribus remiſtâ, imbibiſſet ventriculus, id corrigerem imperavi eis decoctum raſuræ C. C. meæ deſcriptionis, quæ hæc eſt: *℞. Raſur. C. C. ℥ß. Radic. fœnicul. Contra-yervæ, Scorzon. Carlin. an. ʒij. Sem. Aquileg. Fœnicul. an. ʒj. Zibeb. exacinat. ℥ij. Coque. in ſ. q. decocti Hord. ſub finem coctur. adde Conſ. roſar. rubr. ℥ij. Borrag. Bugloſſ. an. ℥j. ℞. hujus decoct. colati per colatorium novum lib. ij. P. C. quibus remiſce Syrup. Rub. Idæi ℥ij. Succ. Citri ℥j. Spiritus ſalis ℈j. vel. q. ſ. miſce. Signet.* Hertzſtärckender alterier Tranck auff etliche mahl. *Cui pro Magnatibus & ditioribus remiſcere eſſentiam florum Tunicæ ʒij. vel ℥ß. pondere, ſum ſolitus.* Inſuper mulierculis iſtis & hoc Electuarium commendavi, quô virulentis iſtis ructibus mederer, quod *℞. Radic. Helenii, Calam. Aromatici ſeu Acori, Scorzon. noſtratis ſeu Amagriæ Inſulæ, omnium conditarum an ℥ß. Diaſcordii Fracaſt. ℥iij. Theriacæ Andromachi ʒij. Salis Fraxini ʒj. cum brodio nucis moſc. q. ſ. fiat lege artis Electuarium,* quô per intervalla uſæ ſunt: Spatiô verò quinque vel ſex dierum intermiſsô, dum ab aliis ægrotis domum revertor, ecce præ foribus ædium mearum, ambæ hæ viduæ me opperiuntur, quas putabam, oſtiatim ſtipem aut eleemoſynam colligere aut poſcere. Quæro ergo num poſcerent? Et reſpondebatur ab iis: nihil minus, noſtíne nos? nil poſcimus: ſed huc venimus, ut tibi gratias ageremus quòd nos ſervâris & moribundas veluti in vitam revocâris: Quas ego hortabar, grates & hymnos DEO canerent, quòd benedixerit medicamentis; me verò benignè interpretari, quòd acceptorum à me beneficiorum, non eſſent immemores; ex quibus unà ſciſcitabar ſeriò mihi faterentur, an jam omnimode liberatæ eſſent omnibus à ſymptomatis, quæ affirmatiſſimè id factum aſſeverabant? Interim brachia, manicâ cubitô tenus nudata, protendunt, rogantque meum conſilium, quò, cùm univerſum corpus maculis adhuc pictum eſſet, iis ſimilibus, quibus lacerti fœdati erant, tandem id emaculari quoque poſſet. Miratus has cutis mutatas qualitates, ſagaciter exqui-

exquiro: an diutinè, aut an mox, post sudorem, per haustulum sudoriferum arte expulsum, an insequentibûs diebûs advertissent, cutem sibi variari? & ad posterius annuebant. Quas jussi bonô essent animô, nec me illis defore, studiô ac consiliîs meis. Erant verò maculæ [quæ omnia pace illorum, qui Medicinæ non operantur, mihi heic liceat recensere pluribûs] ex rubro subnigræ, subasperæ, ac scabræ, magnitudinem singularum squammarum Cyprini piscis æquantes, minoribûs hinc inde interspersis, pulsu omnino magno, sed justo tardiore. Quibus pro re nata imperavi, sequens sudoriferum, quod ℞. *Aquæ fumariæ, Scabios. ana ℥jß. Rob. sambuci ʒij. Salis fraxini ℈j. mixturæ simplicis ℈ß. Syrupi Rub. Idæi q. s. ad edulcandum, misce, præparetur in duplo.* Atque dato hoc consilio, neutra harum aliud me rogavit; nec dubito, quin auspicato hoc sudorifero usæ sint.

§. 3. Sed hic, à medicinæ alumno solertiori rogatus, ut ad secretiora artis adyta secessum faciam, ob phænomena hæc, ut ita dicam, in microcosmo observata; & perlubens, ut illum exerceam illique ut commodem, me ab ipso exorari patiar, præsertim cùm non mox, atque edissent cramben illam virulentam, mulierculæ illæ maculis fuerint obsitæ, sed post bidui aut tridui spatium demum; contrà ne quidem vel minima macula in Capitanei cadavere apparuerit, cùm tamen à quibusdam venenis confertim erumpere, illorumque signum esse soleant. Si quis ergo genuinam, veramque harum, & similium macularum causam hactenus tot in Collegiis, & de Cathedris ventilatam & præsertim ubi de causis petechialium febrium acriter disceptatum est, ex me expiscari velit, quæratque, quî fiat. *Primò*: Ut in Febribus malignis laborantium cutis hinc inde maculetur? *Secundò*: Cur color macularum oppidò variet? *Tertiò*: Cur pro colorum diversitate, vel dubiam medelam, vel certò mortem portendant? Huic φιλομαθεῖ aut φιλαληθεῖ, minimè argutanti, salvis aliorum punctis, ita responsum volo:

§. 4. Decerni hodie in scholis, aut certè à seculi hujus Philosophis & Medicis summis Hofmanno & Conringio: Calidum innatum, seu ἔμφυτον esse elementaris naturæ, cujus πρῶτον δεκτικὸν est semen, in fœtu Cor, per cujus substantiam dispergitur, sed ita temperatum cum humido, ut symmetria illius exactissima neque scribi, neque dici à quoquam possit. Hinc uterque illorum id appellat: *ignem*, sed cum additione *animalem*; quod modò cum fermento, modò cum coagulo comparatur, causaque cordis motus est. Hoc corpus divinius esse dicitur elementis, analogon cœlo. (vid. infr. §. 17.) quod non alitur, ac aliæ partes, sed durat tamdiu, quàmdiu illi licet per causas tam internas, quàm externas, quodque primo nativitatis die maximè in sua est ἀκμῇ nec sibi ipsi contrarium, cùm unum quà unum non in se agat. Hic ergo ignis animalis [loquor de homini soli proprio] cùm sit ac maneat igneæ naturæ, ubi præter naturam ita

incalescit, aut efferatur, ut veluti totus in fermento sit, Febris existit πῦρ dicta. Hinc *Galenus* noster. *comm.* 1. *sect.* 18. *de V. R. in acut. pag.* 597. *lit. C. Tom.* 6. prô! quàm pulchrè de illius genio, hunc in modum disserit. *Natura igitur* (inquit) *acutorum morborum est, ut ipse* (Hippoc. nempe) *paulo ante dixit, ut horum febres omninò sint continuæ, Febris verò ortus, caloris nativi ad igneum est conversio, ut alibi demonstravit, & nunc manifestabit, inquiens: Ex thorace siquidem incipit, atq; ad caput flammam mittit. Præterea in lib. vulgarium morborum febrim magnam, ignem vocare consuevit: quasi non aliam habeat Naturam, præterquam ignis substantiam.* Verum ab ephemera usque ad Pestem ipsam, multæ sunt differentiæ, quas omnes pertractare hic loci non vacat: Nos ceu per stadium decurremus in indagine petechialium.

§. 5. Incandescente itaq; calido innato, seu igne animali in Corde [quo non affecto, licet æstuemus insigniter, nulla adhuc Febris perhibetur existere] februamus; februamus, dico, seu præter naturam ita incalescimus, & læduntur actiones nostræ, ut quasi per purgatorium ignem, quemadmodum loquitur *Hofmannus* corpora nostra lustrentur, usque adeò, ut meo arbitratu, commodissimè Febris appellari possit *vivicomburium.* Sed cùm sanguis in venis contentus [intelligo simul venosum & arteriosum; non enim hic abeundum ad simplices humores aut elementa ipsa est] sit diversarum partium, ac caloris omnis ex Aristotelis decretis sit separare heterogenea [quod illi, ac igni inter elementa proprium in quarto modo est] utique is jam febrilis factus, justo acrius urit, sangvineam massam illiusque serum; quo nunquam ea carere, aut potest, aut debet, in naturali corporis constitutione, ut eo sangvis, ceu vehiculo, ultimò omnium, ad ipsa ossa nutrienda, deferatur, [ut olim *An. nempe M. DC. XXX. in Disputatione mea inaugurali de Arthritide*, contra communem, in celeberrima Witebergensi Academia defendi, cujus rei iterum. §. 42. facta est mentio] idque non subsistens in ligamentis, sed ad ossa ipsa, frigidissimas corporis habitas partes, appulsum, facit, ut quis nodosam non possit tollere Podagram, Æsculapii ipsius licet ad famam perrexerit.

§. 6. Sed interim dum hæc fiunt, & præter naturam Cor incalescit; aliæ atque iterum aliæ, Physicam spectantes, prodeunt observationes, quibus faculam quasi operationes chymicæ prælucent. Sanè ipsus noster GALENUS utramque quoque videtur absolvisse paginam [cujus unicum locum solum, relictis illius libris, & locis omnibus, ubi de Febribus egit, hic loci excutiam accuratius] dum ephemeræ Febris naturam & genium graphicè, *commentario nempe secundo aphorism.* 17. *p.* 49. *A.* his verbis depingit, tacitè [uti auguror, & accipio] multa compendifaciens, quippe sub unico vocabulo *corruptionis* in hac Febri, omnes alias continuarum febrium species, ceu sub velo, & cortina abdere videtur, quo loci inquit: *incipere quidem potest ea, quæ ad vires refertur multitudo, absque corruptione: verum*

non potest optima permanere: nam omnino necesse est, ut secundum qualitatem transmutetur, & processu temporis corrumpatur. Verùm etsi istud fiat, interim multitudinem ipsam nominabimus, donec ex superflui evacuatione residuum optimum fieri poßit. Quasi dixerit: plethora quidem Febris non est, parùm tamen abest, quin in ea sangvis corrumpatur, quo tractu temporis secundum qualitates magis mutato, ac corrupto [ut mox audiemus] nulla iterum ex Naturæ coctione ad primam humoris is redire potest bonitatem, imò is Naturæ contrarius evadit; ut taceam Galenum nostrum quoq; subdubitare videri, anne illa plethorica constitutio, media sit inter euexiam, & inter ephemeram actu talem aut ipso actu existentem, pergit enim: *Quod enim in vinis accidit acescentibus: tale quiddam, & in sangvinis alteratione contingit. Quod autem in vinis accidit, tale est: ubi ex toto acida facta sunt, non redeunt rursus ad vini naturam; parvo autem facto in ipsis momento, ita, ut acidum quidem habeant saporem, nondum tamen acetum sint, multa sæpius ex his pristinam naturam recuperarunt. Hoc idem in sanguine evenit: Nam & ipse ubi magna in eo sit facta corruptio, non redit amplius ad habitum naturalem: si verò paulatim fiat, ubi id, quod superfluum est, fuerit evacuatum, quod residuum existit, ad suam Naturam restituitur. Et quidem consuetum est, hujuscemodi dispositionem non corruptionem, sed multitudinem nominare: illa [ut dixi] sola vocata corruptione, quæ tam effatu dignam habet eam, quæ ad Naturæ contrarium, eversionem, ut non poßit iterum ex Naturæ coctione ad pristinam humorū redire bonitatem.* Sed discamus quoque eodem *Galeno* præceptore, opus est, quænam Febris ephemeræ sint signa. *Si quis*, inquit, *plus consueto assumpseri cibi, æquali autem prioribus, aut etiam minori utatur exercitio, moxque aggravato corpore cum rubore, atque tumore venarum, incipiat febricitare, non absque ratione quispiam illum ex multitudine febricitare existimaverit.* Sed tempori hic, quid sit illud, ob quod vina acescunt, inquiritur, ut simile quid, aut tale quiddam demonstremus, etiam in sanguinis alteratione contingere. Quid autem accidit vino acescenti? *A Præceptore, vivoq; Doctore meo, celeberrimo* SENNERTO *in Paralipom. lib. 3. pract. Med. cap. 9. p. 136.* [juvat enim placita veterum cum recentiorum conjungere, quò per horum experimenta, ratione non cassa, illorum dogmata, vel approbentur vel reprobentur] id doctus sum, ubi inquit: *Insunt in spiritu vini, & aliis spiritibus, duæ substantiæ, utraque volatilis; una sulphurea, quæ facilè inflammatur; altera salsa, quæ sua natura, si à sulphurea parte separatur, non inflammatur*, &c. quæ tamen eodem Præceptore, *ita arctè cohærent, ut non facil separentur; sed, cùm utraque volatilis sit, simul facilè calore in altum elevatur, & si sulphurea accendatur, simul sal volatilis evanescit*; & paucis intermissis: *præter verò istum spiritum volatilem è sulphurea, & salsâ substantia constantem, in succis illis, è quibus fit acetum* [hæc maximè sunt consideranda] *est quiddam tartareum, seu sal fixus, aqueo humori permixtus. Unde etiam ex vino, postquam spiritus vini inde est separatus, sal fixus, seu tartareus parari potest.* Præsupposito ergo hoc, si acescit vinum [quod illius est corruptio] id usu venire ideo, quod sal in illo volatile, fiat fixum, jungendo se sali tartareo fixo, sulphure ex parte separato; utique si sangvinea massa corrumpitur, à salibus quoque hisce junctis, tale quid pati debere necesse est. Cùm

est. Cùm enim coctio, quæ in ventriculo fit, haud sine fermentatione absolvi queat; quàm pulchrè mecastor *Hofmannus lib. 2. cap. CXIX. §. 3. Institut. Medic. p. 232.* docet, fieri mediante saliva, inquiens: *quamobrem, salivam quidem compararis cum fermento: potum autem cum aqua, quam pistores affundunt*; proin [ut à *Sennerto* defenditur] *non solùm meræ sulphureæ partes, sed quoque salsæ in habitum corporis rapiuntur, tam arctè cohærentes, ut non facilè separentur.* Quod sane multis argumentis probari posset. Idem *Sennertus* tamen postea pergit, ac tradit modum, simulque causam addit, quo modo, & cur sulphur illud vini, à vino, & sale volatili, qui in vino est separatur: quæ qui doceri cupit, is adeat ipsum *l. c. p.* 137. Summa priorum omnium hæc est, & compendium: *necessariò requiri* [ut jam dictum] *in succis illis acescentibus Salem volatilem, & salem fixum tartareum remistum in aqueo humore, separato sulphure, quod aliàs dicitur salium acrimoniam occultare.* Ex bona ergò consequentia concludendum; ergò & acida omnia constabunt his partibus; & quicquid acescere, vel debet, vel potest, id ob sal volatile, & fixum juncta acescere debere. Atque *Galenus* argumentatur quicquid accidit vinis acescentibus, tale quiddam in sanguinis alteratione contingit. Quare concludendum: Ergo quoque ob salia hæc, *fieri alterationem*, ut *Galenus* loquitur, *similem acori, in sangvine*, seu in illius massa, tunc temporis sulphur volatile separatur à salibus.

§. 7. Quæ cum ita se habeant, jam operæ me facturum pretium auguror, si jam demonstretur, ut in ephemeris febribus à *Galeno* acescere sangvis dicatur, seu quod idem est, nos dicamur februare; sed hoc jacto prius fundamento ex chymicis operationibus petito, scilicet: *omne volatile figi à fixo, & contra fixum reddi volatile à volatili. Vide Sennertum de consensu & dissens. Chymic. cum Aristot. & Galen. cap. XIX. pag. 395. & Practic. Medic. lib. 3. Part. V. Sect. II. Cap. II. p. 562.* Ita ergo ratiocinor, sed præfiscinè dixerim: Febrim esse quandam ζύμωσιν, Fermentationem, aut ζέσιν, seu Ebullitionem sangvinis [nolo hic loci inter ea distingvere, licet aliqua differentia inter ea intercedat] scilicet, dum à rebus sex non naturalibus dictis, & præsertim cibo, & potu [*Galeni* enim servabimus exemplum, dicentis: *si quis plus consveto assumpserit cibi*, &c.] quæ maximè variant, ut mox, ex *Hippocrate* innotescet, illud salsum, quod in vivi corporis sangvinea massa, quasi fixum erat, à sale volatili assumptorum, nec dum sulphure suo casso, quoq; volatile evadit. Hinc ipsi spiritus ab iis, qui de Ephemeris Febribus commentati sunt authoribus, incalescere, & incendi dicuntur. Ego verò mallem dicere: sangvinem in Ephemera πνευματοῦσθαι, seu ut ita dicam, *spirituascere* ob ignem animalem præter naturam in corde incalescentem. Ut enim farinam subigendam, aut pastam fingendis panibus, cernimus fermentari, ubi fermentum, quod necessariò ob acetum sale abundat [ut prius demonstratum] ei aqua dilutum remiscemus, vel cerevisiæ fæcem; pariter in ventriculo, à cibo, vel potu, vel alterius rei, quod fermento analogon, seu subacidum, acreque sit, actu, vel potentia,

ut sunt verbi gratia: poma, cerasa, pruna, fraga non recèns lecta, &c. vel ex pomis, pyris, uvis paratum mustum, mulsum, cerevisia recens cocta, nec defecata [seu wen het noch up den Böddeinen steit und geeret / ut populares mei Rostochienses loquuntur] fit fermentatio, quæ si modum excedit, aut prava fit coctio, ita, ut seu ζέσις, seu ζύμωσις illa duret diutius, ac sanguinea massa partem participet hujus fermenti, non ritè, ut par erat in ventriculo superati, Ephemera in corde existit, & talis evadit plethoricorum habitus, aut facies, qualem nobis *Galenus* paulo ante graphicè depinxit, nempe: *aggravato corpore, cum rubore, ac tumore venarum incipimus febricitare.*

§. 8. Sed jam luculenter demonstrandum, continere sanguineam massam Salem. Sanè *artis nostræ Antistes*, *Hippocrates*, proh! quàm ille accurate id, quód volo, demonstrat, & postulatum meum confirmat, dum salia in corpore perturbationem efficere, hominemque molestiâ afficere ait: textus exstat *de Prisc. Med. Sect. 1. p.* 19. ubi inquit: *in homine namque inest, & amarum, & salsum, & dulce, & acidum, & acerbum, & insipidum, aliaq; sexcenta, quæ pro copia, & viribus varias habent facultates. Et hæc quidem mixtione, & mutuâ inter se contemperatione, neq; cernuntur, neque quemquam molestiâ afficiunt. At ubi horum quidpiam secretum fuerit, & per se extiterit, tunc & conspicuum fit, & hominem molestia afficit. Quin etiam ex cibariis, quæ minimè nobis conveniunt, quæque in corpus ingesta homini sunt noxia, eorum quodq; aut amarum est, & minimè temperatum, aut salsum, aut acidum, aut alio quodam modo intemperatum, & vehemens, ideoque perturbationem in corpore efficiunt, non secus ac ea, quæ ex corpore excernuntur. Idem pag. 16. & hæc habet: Istud mihi magno adjumento esse videtur, quod neque calidum simpliciter febricitantium, neque ipsum solum affectionis causa sit, sed est & amarum & calidum idem, & calidum & acutum, & salsum & calidum, aliaque innumera: ac rursus frigidum aliis facultatibus junctum.* Hinc idem noster *Hippocrates de victus rat. lib. II. Sect. IV. p.* 22 inquit: *neque enim eandem vim habent, nec dulcia inter se, neque amara, neque aliorum ejusmodi quidquam.* [observa hîc *Hippocratem* non mentionem facere ullius Salis] *Horum enim multa & alvum dejiciunt, & sistunt, & siccant, & humectant; eodem modo in reliquis omnibus quædam adstringunt, & per alvum secedunt, & urinas movent. Sunt quæ horum neutrum faciunt. Ad hunc modum, & ex calefacientibus, ac reliquis omnibus, alia aliam habent facultatẽ.* Quasi dixerit in quibus τὸ ἁλμυρὸν, Salsum deest, aut certè ubi tantillum, aut nullius momenti quidquam salis remistum est mistis, aut *Cibariis* (ut cum *Hippocrate* loquar) ab his omnibus cernes incertos, vel nullos edi effectus: contra pro copia & pro viribus (intellige salium) nos affici, lædive.

§. 9. Ut ergo hæc vera sunt, ceu rationi congrua; & probatum jam est, in Ephemeris dictis Febribus, salsum illud sanguinis volatile fieri; proin jam per nonnullas Febrium differentias, ceu gradus ascendendum ad malignas est, ut tan-

ut tandem veram causam Petechialium, & macularum investigemus: Quas [si libere licet sine Aristarcho, aut Censore aliquo hic loci proferre animi mei sensa] dico, unicè ex sale sanguineæ massæ remisto aliter atque aliter corruptæ, pro copia, ac viribus salis, serius ocyus in Petechialibus Febribus, nec non Morbillis, Scorbuto, Lue Venerea efflorescere, ac id cutem pingere maculis. Quidquid enim [Philosophi perhibent] est causa causæ, est etiam causa causati. Atque Sal est causa fermentationis, fermentatio Febris. Ergo Sal hujus vel illius Febris, seu quod idem est, certo modo modificatæ corruptionis sanguineæ massæ, prout in quali & quanto peccat, & modum excedit in vivo corpore, causa est: & per consequens quoque macularum est causa, quæ imminentis certæ quandoque mortis signa sunt, prout in vivo corpore Sal id, quasi plus minusve [ut cum Chymicis loquar] calcinatur, aduritur, sublimatur, iterumque figitur, ac in cute tandem efflorescit, quæ in Digressione hac meâ de Febribus malignis, DEO volente, citra ullum partium studium manifestabuntur.

§. 10. Ignis ergo ille animalis, cùm, dicto modo, præter naturam in Ephemera est accensus, blandus tamen adhuc est, respectu aliarum Febrium, quod & medela illarum confirmat; ceu cui evacuatione simpliciter *Hippocrati* sic dicta [intellige per eam venæ sectionem, ut *Galenus* loco paulò ante citato præcipit] mederi possumus, ceu quæ ex accidente æstuantem sanguinem ventilat, & frigefacit, & per consequens ebullitionem, aut fermentationem ita sistit & inhibet, ne porrò corrumpatur, aut [ut *Galenus* loquitur, simili ab aceto petito] quasi acescat, non quod sapiat acetum, sed quod aceti in morem corrumpatur. Atque jam postulo mihi hoc concedier: venæ sectione, aut similibus subsidiis ex accedenti vel per se frigefacientibus, & motum sanguinis nimium sistentibus, non inhiberi tamen, aut sopiri in Febri Ephemera illam ebullitionem aut fermentationem. Quid usu venit? Sanguis motu suo magis ac magis incalescit, imò quoque ipsius ignis animalis in corde, à quo, *ut supra* §. 4. dictum, cordis est motus. Quippe Sanguis, dum, ut notum, *ex dogmatis de sanguinis circulatione*, circulatur in venis [utrumque sanguinem intelligo, & per venas quoq; arterias, imo quoque ipsum Cor brevitatis studio,] jam præter naturam incalescens, aut, ut *Galenus* loquitur, *acescens* [ut jam iteratò illa repetam] ob semel conceptum, aut susceptum fermentum, ipsum Cor infestat; & blandum illius naturalem calorem, elementis diviniorem, cœlô analogon, seu ignem animalem magè atque magè ignescere facit, unde pulsus celerior; & quæ antea unius diei Febris habebatur, Ephemera dicta, jam dicitur Ephemera plurium dierum, seu synochos non putrida in scholis audiens, quæ plerumque malorum morum, malignarumque Febrium prodromus est. Oportune autem me hic loci notare arbitror

tror (notatu quippe id dignissimum) cum non solùm in hoc, sed quoque aliis meis commentariis passim *circulationis sanguinis*, à me facta mentio, ac solertia primi illius hic in Europa, ingeniosissimi Inventoris nempe *Celebratissimi Anatomici* HARVEI *Britanni*, condignè à me laudata sit, quod *inclutissimæ quoque famæ* DN. ANDREAS CLEYERUS, *patriâ Chattus*, *protomedicus Bataviæ Novæ*, *in insula Jaccatrensi*, *Java majori*, suis humanitatis, benivolentiæ ac summi studii plenissimis literis, An. 1675. mense Febr. ad me datis, sed filii mei dilectissimi, *Johannis Joachimi Paulli nostratis Danicæ Societatis Orientalis*, *Indiæ in Insula Java, Bantamii*, *Negotiorum tabularumque accepti & expensi*, *summa sui laude ibidem Præfecti*, fidei ac curæ commissis, aut eo internuntio, ad me perscripserit: *Circulationem Sanguinis* apud Sinenses, non nuperum sed pervetus esse inventum, imo ante CHRISTUM natum (quod admirandum!) quasi incanuisse: sed juvat in fidem dictorum potius ea omnia, ipsius *Celeberrimi* CLEYERI verbis, quàm meis me referre, ne quis putet (ut cum Cic. ad Lucceium loquar) *ea me ornare vehementius, quàm senti am, & in eo historiæ leges me negligere*; *quas ut Luccejus, Ciceronis in honorem negligeret, etiam atque etiam ipsum rogavit*; hodiè quod vitium magno probro, tolutiloquentiæ alicui, cujuscunque sit Nationis dedito Germani Nos, his verbis exprobramus: Er schneidet sich; Er schneidet gewaltig auff; Er gebraucht das grosse Messer; Er verhauet sich &c. &c. Sed jocis posthabitis, ipsum Authorem Dn. CLEYERUM, ita loquentem quasi in Scenam hic introducam. *Quod ad praxin medicam, sive Therapeusin Medicorum Sinensium spectat non est altioris indaginis, ac supervacaneum foret de ea tanquam re exigui momenti, multa dicere. Unicam saltem rem magnæ molis, quam vix mente complecti possum, ne dum facultate consequi, mirari licet, Medicis Sinensibus tot retro seculis, (ultra 4000. annorum) usum circulationis sanguinis, innotuisse præ Europæis, & quod caput rei est, Σημαιωτικὴν infallibilem, ex pulsuum tactu, eorumque diversis ictibus exercere, morbi statum ac declinationem, exinde discutientes.* &c. &c. Sed hæc & nonnulla alia singularia, de herba Thée; illius culturâ; & semine, cum opera & studio, *polyhistoris ac Anatomes antistitis* DN. THOMÆ BARTHOLINI *Collegæ ac compatris mei conjunctissimi ac amantissimi*, publici juris sint facta; proin qui volet aut cui commodum, legere illa potest in actis illius medicis ac philosophicis Hafniensibus, Anni 1676. cap. 1. pag. 1. & sequentibus. Obtestor interim L. B. cujuscunque sit subsellii, ordinis ac dignitatis, condonet mihi si justo diutius, ob ea, quæ *de circulatione Sanguinis* allata aut intercalata sunt, illius tempora moratus sim; qui in præsens, *inceptum decurram laborem*, enucleando pro virili, citra partium studium nullius jurans in verba Magistri, causas febrium malignarum. Nisi ergo ob earum causas abstrusas, illico ad proprietates occultas cum aliis recurremus, quos *eruditissimus* FRACASTORIUS *lib. 2. c. III. de morb. contagios. p. m. 116. A. Tanquam nihil dicentes, & docentes appellat*: quippe, *qui difficultates propositas per ignota solvere student*: quare in indagandis causis febrium petechialium, se-

quenti modo procedendum, superque earum generatione ita pronuncian-dum arbitror: Ephemeram esse primum gradum, præter naturam incale-scentis cordis & in eo dispersi ignis animalis, ac latitudinem habere usque ad pestem ipsam, quatenus à causis naturalibus procreatur, flagellum aliàs DEI audientem. Sed prius, quam provehar altius *Celebratissimi Viri Dni.* CONRINGII verba ex illius *libro de Calido innato, seu Igne animali cap. XXI. p.m. 216.* petita hic loci accersere præstat: *Medium* [inquit] *praterea illud corpus, quod defert calorem* [partibus scilicet viventis corporis] *aliud est atque aliud ratione vel qualitatis, vel quantitatis. Etenim tenue aliquod serum calorem comprehendere minus aptum est, quam sanguis, ipso sero inferior est vapor. Ceu debilior est calor balnei vaporarij, quam balnei Mariæ, & hic infirmior calore balnei arenarij, ut cum Chymicis loquar. Hinc sane in universum omnia sanguine prædita, & animalia, & membra animalium exsanguibus calidiora sunt: quibus scilicet sanguinis loco est tenuis ἴχωρ aut vapor. Porro & ipse sanguis cum tenuitate, & crassitie differat, non potest non idem vel eo ipso differre circa calorem.* Τοῦ γὰρ αἵματος τὸ μὲν ὑδατῶδες μᾶλλον ψυχρόν ἐστιν: *fibrosus verò sanguis calidior est, &c.* & paucis intermissis: *hominem autem alterum altero multùm discrepare sanguinis crassitie, & tenuitate, certum est, & omnibus cognitum. Multitudo porro sanguinis vel seri, vel vaporum calidorum, indubie promovet quoque vim caloris.* Hactenus Πολυμαθέστατος CONRINGIUS. Quæ omnia ceu citra controversiam verissima accepto; modo mihi quis indulgeat, ut, quæ hic dicta sunt, de corporis naturalis constitutione, ea in paradoxo hoc meo, ad constitutionem corporis præternaturalis, & in specie alicujus Febri ephemera, & synocho [nemo autem expectet à me intermittentium Febrium causas, quippe de iis non liquere adhuc pronuntiandum esse arbitror] laborantis, transferre mihi liceat. Dico ergo, sed ne implicem contradictionem in adjecto [obtestor hic fidem & candorem discentium quibus hæc commentor non logomacho aut logiatro alicui] in ephemerâ adverti blandum, & mitem [comparativè illa dicuntur] sed præter naturalem tamen calorem & illum talem quasi gradum occupasse, aut ad eum ascendisse qualis balnei vaporarii est: [memineris autem caloris, aut Ignis animalis Symmetriam neque dici, neque scribi à quoquam posse] Synochi vero non putridæ calorem comparandum ad illum gradum, qui balneo Mariæ proprius: putridæ vero dictæ, & continuæ calorem talem esse, qualis balnei arenarii est proprius: malignarum, & pestilentium Febrium, imo sis, ipsius pestis calorem talem, qualem aperti quasi ignis est, analogice animo seu concipiendum seu appellandum esse arbitror, licet in malignis, & pestilentibus non semper usque adeò urere is nos appareat, ut in transcursu hoc manifestabitur. Statuendum ergo; præter naturalem calorem in ephemera adhuc mitem esse. Atque hinc quoque [Natura vel per sudores] atque adeo facili ejusdem motu ephemera Febris judicatur: quippe ut cum *Galeno* nostro loquar: *nondum in ea Sanguinis magna facta est corruptio, & quod residuum existit*

[vel

[vel Arte per venæsectionem]*ad suam naturam restituuntur.* Quin & Naturam illud fermentum, salsum valde, volatile factum in vivo corpore, quoque per crisin ad nares & oris labia, pustulis ibidem excitatis sæpicule excernere videre licet. Et, dic quæso, nisi adeo subtilis hic sal esset, contentus in venis, causa qui est fermentationis, qui aliàs ex venis narium, aut labiis ipsis hoc fermentum excerni posset? Ad quæ solùm nullam vero aliam corporis nostri partem in ephemera aut potius ephemera extensa (nam Ephemera exquisita plerumque per sudores judicatur) ideo protrudi hoc fermentum à Natura solertissima morborum medicatrice hariolor, quia ad nasum complures venæ; & arteriæ visum effugientes abeunt. (Vide *Historiam Millefolij Classe tertia Quadripartiti mei Botanici*) Et quia labia item peculiari sui generis raro, spongioso, aut fungoso parenchymate, aut potius carne sui generis constant, vel sola epidermide, vel haud densa cute investita, seu ut *Galenus* loquitur *XI. de V. P. 15. pag. m.* 720. *C. cum qua musculi [ut ita dicam] pereunt, cutiq; per totum commiscentur: quorum nihil temere, neq; frustra factum fuit, &c.* Horum vero qui ignarus est, næ ille cùm ratione agentis, seu fermenti, tum ratione locorum affectorum narium, scilicet & labiorum ad occultas qualitates, & τὸ Θεῖον Hippocraticum ceu ad asylum, &c. procurreret? Ego, cùm manifestissimas, & quasi palpabiles rationes hujus criseos, & cur has partes, non verò ullas alias in ephemera extensa, aut synocho non putrida dicta, Natura sibi eligat, unicuique, nisi ratio, & experientia mea me fallunt, suppeditare possum. Nasus vero acutus, labiaque florido colore exuta, si liveant; utraque vero frigeant, in morbis acutis ea cæteris paribus apud *Hippocratem* vel vitæ summum periculum (θανάσιμον) vel mortem ipsam portendere perhibentur. Cur? quia sanguis nutriendis partibus, unà cum sero, ad venulas & arteriolas visum effugientes harum partium, ceu adustus corruptusque delatus, ineptus est, ut ritè circulari, has partes fovere, & per consequens, eas ut decet, nutrire queat, seu ut verbo dixerim gangrænoso similis sit destitutus calore nativo. Quod admirandus, & incomparabilis DURETUS *in Coac. prænotionibus prænot. Hipp. lib. V. text.* 2. *pag.* 121. *v.* 10. *& seqq.* his verbis docere nos voluit: *Facies cadaverosa & mortifera &c. quoniam sic emacruit, ut ad ultima ventum esse testetur. Emacruit autem exhausto humidi primogenij, unaq; etiam defraudata nectare vivifico, cordis, id est, spiritu, sanguine, & calore vitali. Exhaustum humidi primogenij partiumq; solidarum, ut ita dixerim colliquamentum, attulit febris tabifica, cujus ardore partes ipsæ liquantur.* [Et hujus effati maxime probabilis, ratione interveniente, illustre exemplum dedi §. 52. aut nobis exhibet filius Armamentario Regio præfecti, cujus ibidem facta est mentio.] *Nectaris autem vivifici defraudatio venit à paupertate sanguinis, & cordis, multùm in suo officio laborantis, infirmitate,* [quam demonstravi à prohibita aut depravata sanguinis circulatione provenire] *ex qua efficitur, ut neq; sanguinem liberaliter haurire possit, neq; spiritum quem duci-*

mus excipere; eademque duo Naturæ nostræ sola ἐυπρόσφυτα id est *consocialia partibus omnibus, uti solebat liberè & liberaliter impartire. Quoties autem perennis consumptio est partium solidarum, unaque perennis dissipatio nectaris vivifici; paulò ante descripti, morticina est ejus Natura qui ægrotat. Sed ejus morticinæ Naturæ significatio potissimùm lucet in facie.* Hactenus ille. Quæ illius emphatica verba, ceu congruentia, cum dogmate de circulatione sanguinis, hujus seculi, singularem quidem commentarium poscere videntur; tam si causas recensitorum admirandorum morborum, quàm locos affectos spectes; quos invadunt & occupant; quibus meritissimò lues Venerea, Scorbutus &c. annumerantur; sed cum Senes perferendis laboribus non sint, ac fatiscant, hic loci aliis lampada trado; præsertim cùm περὶ τῦ Θεἰε Ἱπποκρατικῦ infra quoque dicendi locus erit.

§. 11. Excreto verò per crisin dicto fermento [non me movet, tantillum, aut perexiguum id videri; venenum enim scorpius quod evibrat quantulum illud, at quam illud fermentat sanguinem Italorum tamen, ab illo percussorum! cum ex decretis *Hippocr. 1. aphor. 23.* τὰ χωρέοντα, ejusmodi excretiones, ex euphoria ægri, minimè verò copia sed qualitate æstimandæ sint] mox dolorem capitis, sitim, æstum, &c. Postdein ipsam Febrim cessare, ac desinere, demùm figi id Sal, aut fixum reddi, amplius non noxium, aut fermentans sanguinem, licet idem illud prima in concoctione viscerum naturalium, ut antea demonstravi, §. 7. occasionem Febris ephemeræ &c. dedeiit, dictis in locis corporis omni die observare licet; sed cujus excretionem sternutationes præcedere; pruritus narium, dolor labiorum, denique rosio quædam consequi; ultimò pustulæ, labia, naresque exedentes prorumpere assolent. Quæ omnia ratione optima interveniente pronuntianda sunt, certò à Sale animali, ut ita dicam, provenire, quo viperas si non multo abundare, ast penetrantissimum volatile, vel suffocatas in vino; vel ustulatas, calcinatasque, fixum sufficere nobis in medicinales usus, experientia nos docuit. Vide infra §. 67. *Celeberrimus* verò DANIEL BECKERUS, *Amicus, ac Commilito noster quondam in Rostochiensi Academia, jam p. m.* videtur id, ob similitudinem, quam habet cum Sale Ammoniaco, in humano corpore comparare. Vide *Histor. Anagallidis Classe tertia Quadrip. mei Botanici.* Obiter vero noto: Me nullum aliud μίασμα in Febribus contagiosis, & malignis, quam Sal aliquod volatile, quod Scabies, Lues Venerea, Elephantiasis omnes contagiosi, & salsuginosi morbi approbant, agnoscere: (de quibus infra agetur) id verò si odorum esset, insuper abundare multo sulphure volatili statuendum est: cujus μιάσματος teste HOFMANNO *in animad. in Montanum de morbis III. cap. VII. §. 13. p. 78.* cùm facta sit mentio in Medicina: *non id Medicum, sed Metaphysicum* [puto illum intelligere Ens rationis] *dixisse* SCHERBIUM, *cum suavi risu accepimus. Oportet omnino ex animo dele-*

mo delere omnem cœli morbum, ut Virgilius vocat: & firmiter credere: Quicquid heic est, elementare esse. Observo etiam, me, in iis quæ de gradibus febrium attuli, ex parte Homopsiphon habere HOFMANNUM *dum p. 75. §. 10. in Montanum: Febrium putridarum benignarum statum in eo esse*, dicit, *ut Combustio potius sit [quæ intra limites manifestarum qualitatum stat] quam Putredo: Pestilentium contra, ut vera sit Putredo, & quæ jam tota substantia sit mortalis: Malignarum, ut medio modo se habeant. Majoris, aut minoris malitiæ indicium fere est contagium. Quò minus enim contagiosæ sunt istæ febres, eò longius absunt à peste: quò magis, eò propius accedunt: cùm maximè, jam sunt ipsa pestis.* Quo loci quærit: an putredo illa extrema, quam κακοχυμίαν, διαφθορὰν, καὶ σηπεδόνα vocasse Veteres notat, dici possit VENENUM? & decernit, se equidem à dogmate SCHERBII, Disputat. de Pestilentia 28. non discedere; & si propriè & Medicè loqui velimus, non posse dici: sin impropriè, & cum vulgo, posse. Hoc autem adjungere: *Quamdiu in corpore, quod obsedit, hospitatur, non est, nec dicitur Venenum: at, cùm ex hoc corpore in aliud corpus transfertur νοσερὰ illa ἀπόκρισις Hippoc. fomes ille putridus* [hoc mihi in quæstione, & principii est petitio: GALENUS enim corrumpi ita sanguinem dicit, non vero putrescere, ut coctione ad pristinam humoris bonitatem redire nequeat] *qui de subjecto in subjectum transit, non posse commodiore alio nomine dici, quam Venenum, vel ideò, quia agit totâ Substantiâ.* Et sane si in loco proprio, in venis nempe Sanguis putresceret, anne si, verbi gratia, Petro, vel Paulo, Mariæ, vel Elisabethæ, febri ephemera extensa, & jam putrida laborantibus, venam ferro abrumperemus, necessariò sequeretur, putridum illum sanguinem semper fætere? cujus rei unicum solum exemplum per tot annos, quot DEI GRATIA Praxin exerceo [exerceo autem jam, dum adorno hanc secundam editionem hujus meæ Digressionis, per quadraginta & septem annos, ætatis vero meæ septuagesimo quinto] observavi, & quidem A. cIↄ Iↄ c LIV, in Cive primario Hafniensi longe quinquagenario majori, & propemodum sexagesimum visuro annum; qui præservationis causâ assuetus venæsectioni mense Majo, Me, Conjuge, & famulis illius præsentibus sibi per Chirurgum venam brachii medianam incidendam curabat, nullo modo febricitanti. Ingens enim fœtor & peculiaris, ad nullum v. g. putridi ovi, ulceris sordidi &c. comparandus de improviso, & dum saliebat adhuc ex vena sanguis universum cœnaculum opplebat, qui incensis odoriferis corrigebatur. Si ergo hujus sanguinis insigniter fœtentis sed calidi adhuc, causa exstitisset cacochymia, aut putredo, maxime cùm eodem anno seu M.DC.LIV. pridem ante Majum, Pestis complures è medio sustulisset, qui non sanguis illius ex vena prolectus, ulcerosæ saniei fuisset persimilis? qui tamen frigefactus, neque fœtebat, neque colore dissimilis erat optimæ notæ sanguini, nisi quod impense veluti rutilans, ad Floris Cardinalitii trachelii illius Indici colorem proximè accedens, imo propemodum superans, perpauco sero esset conspersus; quam sanguinis conditionem vel grassan-

grassantibus Epidemiis, malignisq; Febribus, vel non iisdem grassantibus [dicta hæc & scripta novellis Practicis volo] mortem aliquam multis portendisse, observavi aliquoties: astantibus & imperitis, sibi ob roseum hunc, aut potius coccineum sanguinis colorem gaudentibus, ægro verò gratulantibus. Ego autem jam pridem condocefactus sum, diffidens semper ejusmodi suspectæ sanguinis bonitati, propinare in ejusmodi casibus ægris alterantia unà cum alexipharmacis, & specimen habetis paulò ante, seu §.2. descriptum, decoctum rasuræ C. C. meæ descriptionis. Verùm cum pestis tempore, hæc observatio, de fœtore sanguinis citra putrefactionem ullam nata veluti sit; dicemúsne ergo potius: in sanguine isto fœtido, [fœtido dico] pestis & contagii seminaria jam delituisse occultè, corruptura tractu temporis [corruptura dico] magè ac magè sanguinem, quàm ut absentibus signis putrefactionis putridum illius fuisse sanguinem sciscamus? Sane ita ratiocinor. Meo ergo arbitratu pronuntiandum: *Sal ac sulphur vivorum corporum utraque volatilia, causari hæc & similia, etiam in sanis ac valentibus adhuc corporibus.* Hinc ut exemplis manifestetur res, ab esu allii, virus olere olidum *Turcas, Thraces, Judæosque* novimus. Vide *Historiam Allij Classe tertia Quadrip. mei Botanici.* Et certe nisi Hircos, Vulpes, Lupos, Mustelas illas sylvestres putorias in Germania Inferiori Illcken dictas, putrescere vivo corpore, & per consequens naturaliter febricitare [quod contradictio in adjecto est] perpetuum à condito mundo dicemus; ob quam causam aliam, quam modò dictam, scilicet sulphur, & sal volatile usque adeò teterrimi odoris hæc animalia voracissima esse pronuntiabimus, ut ea aversemur penitus? Nec aliam effingere possum causam, quàm Sulphur, cur ovis, tenellum suum agnum lactans, præ aliis centenis, ex toto grege primò olfaciat, mox discernere eundem valeat? Quid? quod in cœnaculum & quidem clàm illatæ felis, adeò nonnullis individuis [quibus forsan ob olfactoriorum nervorum paris sive structuram, sive temperiem sagacior nasus est, quàm cani venatico, discernenti heri sui, & venatoris, à leporis vestigiis] ingratus est odor, ut ferre nequeant imo Lipothymiis corripiantur, nisi ex cœnaculo foras quatiatur. Certè omni populo notum, glirium, feliumque [sed honos præfandus est) urinam recens mictam esse fœtidissimam; dicemusne ob putredinem? non dixerim, cur non? Quia Sulphur & Sal in ea volatilia, quæ Chymica arte ex urinis eliciuntur, hujus solius rei causa esse videntur, animalium calidissimorum: unde quoque glirium urina depilat instar Psilothri vivos equos, si ab iis [sit venia verbo] permingantur noctu in stabulis. Hinc quoque nonnulli in Febribus p. n. olidissimam prærubram micturiunt urinam, in qua mihi bilem ostendi volo, quam solam ictericorum ostendere nobis licet. Ut taceam *Decus Galliæ, & Medicorum* LUDOVICUM DURETUM *in eruditissimis suis in Coacas Hippocr. Prænotionibus* apertissimè docere *text.* 10. *cap.* III. *p. m.* 112. *Urinam prærubram non quidem multâ bile saturatam, sed inflammatione feri*

[quæ

[quæ recte sint accipienda] *multùm rubere, seu ferè, quod in venis ac arterijs incendio conflagravit*, ut idem ibidem loquitur; mihi quod seri ac sanguineæ massæ est corruptio. Verùm, quonam abeo, dilabor à scopo? Sed, ò mei, studiosè & dedita operâ hæc ideò adducere mihi allubuit, ut intelligeretis, quantis difficultatibus necessariò se implicabunt, qui putredinem causam Febrium malignarum pestisque ipsius statuunt. Quod cùm animadvertisset quidem, sed per nebulam tamen adhuc solum perspexisset *Eruditissimus* FRACASTORIUS *de Morb. contag. lib. II. cap. III. p. m.* 117. A. hunc in modum super hac causa decernit: *postremò & mirum illud videtur in his febribus* [scilicet pestilentibus] *putrescere Cor, aut & contenta, statim enim videretur animal perire, quoniam nec erysipelata tolerare potest membrum delicatissimum*, quasi dicat: impossibile est, Cor posse aut in illo contenta serum ac sanguinem putrescere ulla in Febri: aut certè si non in pestilentialibus [in quibus Ego concedo maximam & in summo gradu fieri sanguinis serique corruptionem] multò minus in ullis aliis. Idem tamen FRACASTORIUS paulò post traditurus seminariorum pestilentium causas, iterum ad putredinem tanquam ad scopulum adhærescit, Ego vero ad corruptionem citra putredinem sanguineæ massæ: *paratus* [ut FRACASTORII verbis utar] *opinionem mutare meam si minus satisfacere eruditioribus videbuntur*, quæ à me hic prolata sunt. Sed exemplo hic novo opus est.

§. 12. Laboret ergo quis Febri ephemera plurium dierum, seu extensa; nec superveniat ulla critica evacuatio, ut ζάσεως, aut ζυμώσεως causa jugiter sanguinem corrumpens, foras mediante sero protrudatur, aut excernatur ad os, & nares, ut §. 10. demonstratum est. Quid ergo jam usu venit? Natura sui conservatrix & nunquam quiescens, aut semper instar automati inquies, adjuta pulsu Cordis, illiusque calore seu igni animali in eo disperso, enititur quantum potest, expellere sibi noxia. Hinc morbus ad statum properat, ac symptomata ingravescunt insigniter, ita ut calor p. n. in corde accensus jam analogicè dicatur ita urere, ut calor arenosi balnei; ac Febris Synochos putrida dicta gignitur, quæ nec prius cessat, aut desinit, quàm Febris hujus fermentum [longè autem illud vel copiosius vel nocentius, seu magis in quanto & quali peccans, necesse est animo concipias, quàm quod Synochos non putridas dictas concitare solet] quoque excernatur v. g. vel per vomitum, vel per alvum concitatam, vel per urinas, vel per sudores, vel per ptyalismum, vel per hæmorrhoides in utroque sexu, vel sequiori per menstrua, vel per abscessus, & tumores variarum corporis partium, inguinum, alarum, aurium; quasi publicorum hepatis, cordis, capitis seu totius corporis emunctoriorum; vel denique ad artus protrudatur, quicquid in sanguinea massa corruptum est, quod dein aut paralysin, aut arthritidem notham, aut mistum, ex his duobus morbis affectum causari consuevit: quo plerunque post ejusmodi febres in scorbutum antidhac propensi, excruciati

ciari assolent his in oris, ac Septentrionalibus plagis, ac Regnis, ubi nunquam tam exquisitas, aut exactas crises, aut perrarò expectabimus, quàm HIPPOCRATES Cous descripsit, & tunc temporis vulgò dicitur: Die Kranckheit sey einem zu den Händen und Füssen/oder Gliedern/geschlagen.

§. 13. Sed nihil horum eveniat, nec arte mitigetur calor; utique sine insigni adhuc virium jactura ac debilitate magis magisque urgentur symptomatis ægri; quippe, qui conquesti de insigni & intolerabili æstu, fiti, inquiete [Sie werffen sich hin und her im Bette/ und wissen nicht/wie ihnen ist] mox deliriis corripiuntur, quorum indicina, & prodromus esse, Faucium, Lingvæ ariditas, ac scabricies assolet; conqueruntur item de gravi auditu, qui tamen ob elegantissimas anatomicas, seu observationes, seu rationes, non tam pravum, ac cætera recensita, est signum; præsertim si ægri prius de pruritu, aut titillatione ad palati latera ad Gargareonis radices mox de depravato gustu conquerantur: quippe plerunque hos quoque servari observavi materiam peccantem, per peculiarem meatum, aut ductum cartilaginosum ex aure in palatum desinentem [olim Discipulis meis in Theatris Anatomicis curiosè demonstratum] Natura excernente; quem quidem meatum *Celeberrimi Anatomici*, ut EUSTACHIUS VOLCHERUS COITER, aliique describunt; ast apud Practicos altum est de eo silentium, aut certè non recordor, quemquam eorum, quos ego versavi, meminisse, in modò dictis Febribus svevisse Naturam per hunc tubulum aut meatum ptyalismo insequente moliri Crisin; nisi forsan HIPPOCRATEM nostrum *de Morb. vulgar. lib. 2. Sect. 3. pag.* 100. simile huic vel olim observasse, vel quidquam illi constitisse de recentiorum cartilagineo aurium ductu dicemus; de quibus judicet quisque quid velit, modò ex laudato loco planè singulari, & asterisco digno, ceu ex quo RULANDUS quoque *in Quæstionibus de Lue Vngarica Quæst. VIII. p. m.* 212. probare allaborat, morbum Ungaricum dictum ipsi HIPPOCRATI olim notum fuisse, &c. mihi liceat probare, & defendere: nempe in Febribus malignis, & petechialibus, viribus constantibus non pravum esse signum, si surdescant ægri; verba autem ita habent, aut hæc sunt omninò illa confirmantia quæ volo: *In Febribus* (inquit l. c. Hippocrates) *æstivis, circa septimum, octavum, & nonum diem, asperedines quædam miliaceæ, culicum morsibus fere similes, quæ tamen non admodum pruriebant, in summa cute subnascebantur, & adjudicationem usque perdurabant. Ac ne eæ quidem masculorum ulli eruperunt. Mulier verò cui talia fierent, nulla mortua est. Hebetiori tamen erant auditu, & soporosæ, quamvis antea non admodum soporosæ essent, quibus ista evenire debebant. Neque tamen in totum perseverabant. Æstate verò etiam ad Vergiliarum occasum in soporem & somnum pronæ erant, post ea quippe insomnia magis urgebantur. Verùm neque prorsus ob istam temporis constitutionem moriebantur.* Hinc sæpe Ego audacter pronuntiavi complures, DEO benedicente, restitutum iri à gravissimis morbis, quos artis anatomicæ imperiti, nec in praxi satis exercitati, quasi surditas illa ab

emo-

emoriente facultate & viribus exhaustis provenisset, depositos & conclamatæ salutis falsò proclamarunt :: contrà, qui de doloribus bulbi oculorum conquerantur, nullâ ophthalmia, eos rarenter superesse observavi; quæ omnia, vel singula recensita symptomata, ut quandoque criticam hæmorrhagiam præcedere solent, ità non illa, neu aliâ aliqua crisi insequente, malignitatem certò portendunt. Cur? quia magis magisque fermentatur, & corrumpitur sangvis non ventilatus, & Naturaræ contrarius, teste GALENO, evadit: Maximè verò id fieri statuendum est, si non tam appetens potus esse hodie observetur quis ægrotorum, quàm fuit pridie, nec nudæ illius manus, à Medico tactæ, tam calere, quàm antidhac advertantur, pulsu jam æqualiori, urina salubri: hoc tamen cum discrimine adhuc, quod ejusmodi malignitas ut plurimum non contagiosa, aut non tam contagiosa, quàm pestis ipsius sit. Cujus ut & malignarum febrium seminaria cùm *Eruditissimus* FRACASTORIUS intelligeret excedere putredinis modum, aut solam putredinem non sufficere ad seminaria contagionum, proinde iis ita philosophatus est *l.c. pag.* 117. C. *in primis diximus habere ea vim, & actionem multam, tum & mistionem fortem, & elaboratam, necnon & mistionem in lentore constitutam, ac demum non materialem solum antipathiam ad calorem naturalem, & ad animam ipsam, sed & spiritualem. Hæc igitur cùm ità se habeant, longè diversam putrefactionem ab aliis faciunt.* Hactenus ille. Quæ, me interprete, ad corruptionem & fermentationem factam in sanguineâ massa, haud ad putredinem sunt transferenda. Seminaria contagionum dicit: *habere vim & actionem multam*, id de salso ac acido accipio in fermentatione [acida autem continere multum salis anteà demonstratum est §. 6.] Salsa verò, aut salia sola vim, & actionem multam habere præ humoribus palàm est, & categoricè affirmandum: quòd illustrare innumeris exemplis liceret; sed carpam summa: Etenim Sal culinaris multam habet actionem. Nam si aliquot solum granula illius inter prunas & supra torrem projeceris, crepare id insigniter audimus; Sed interim sulphureos prunarum fumos figit, nobis ne noceant, sæpiculè apoplexiam causantes. Quin & pulverem pyrium, ob nitrum apprimè volatile, tonitru æmulari ac terræ motum concitare posse, dum cuniculis actis dolosè in cryptis incensus mænia civitatum, militum coronâ circumdatarum, evertit penitus, palam est. vid. infra in hanc sententiam §. 72. Quid quod salia argentum, aurumque metallorum fixissima, ita solvere & corrumpere posse, arte docti simus, ut in aquam transiisse, ignarus artis juraret; quæ tamen liquefacta, ac soluta aliud sal iterum figit, ac præcipitat? Sed revertor ad FRACASTORIUM indagaturus, illo duce, contagii requisita. Porro inquit FRACASTORIUS: *Seminaria contagionum habere mistionem fortem, & elaboratam*, quæ prædicata etiam sali conveniunt, ut vel ii norunt, qui rudimenta in Chymicis posuerunt. Tertio loco addit: *nec non & mistionem in lentore habere constitutam.* Hoc unicum est, quod maximè me urget, &

ex mea hypothesi probandum restat, id in petechiis, & malignis febribus, & quidem sanguineæ massæ corruptæ accidere; quod §. 20. exemplo vini corrupti illustrabitur; nempe ut, quoque sangvis, & serum naturâ salsum, saleque prægnans aut abundans lentescere veluti in humano corpore possint. Quarto loco ait: *non materialem solum antipathiam ad calorem naturalem & ad animam ipsam, sed & spiritualem requiri, &c.* quorum ultima hæc, omnino intercidunt, & ingentia postulata sunt, apud medicos, quibus nihil rei cum anima est; affirmantibus, calore aut igne animali non penitus destructo, aut suffocato, superesse animal. Philosophis verò notum est impatibilem esse Animam. Sed *paulò antè* quidem, §. 11. in quibus differat malignitas, & pestilentia decisum est, quæ nolo repetere altius; ast hic loci tamen quædam ex HOFMANNO petita maximè ad rem facientia, ut malignarum Febrium genius, & indoles tantò accuratius nobis innotescat, addenda arbitror: quippe qui *in Institut. suis Medic. lib. III. cap. V.* § 7. p. 301. postquam disseruit, de morbis Epidemiis simpliciter sic dictis, & perniciosis, monet: quòd *MASSARIAS de peste fol.* 9. latè deducat; *Pestem non esse nomen certi alicujus morbi, sed commune omnibus iis, quibus duo hæc accidunt, ut sint à causa communi, & plerosque omnes interficiant: Ità* [pergit HOFMANNUS] *in obsidione Noribergensi anni* 1632. *publicè errabant febres bubonariæ, dysenteriæ, diarrhææ, catarrhi. De febribus privatim hoc tenendum est, ab initio antequam contagiosæ fiant,* Malignas *dici: cùm accedit contagium,* Pestilentes: *cùm multi etiam moriuntur,* Pestem. *Hinc fit, ut Febris pestilens aliquando sit sine peste, quod pulchre explicat laudatus modò MASSARIAS.* Sanè pervelim Medicinæ Candidati hunc ipsum MASSARIÆ locum non per transennam inspiciant; præsertim verò ii, qui olim hanc artem de Cathedris professuri sunt. Formale ergò, & proprium pestis est, ut sit à causa communi & plerosque omnes interficiat, seu ut ipsum MASSARIAM loquentem hic introducam: *nimirum omnes morbos, quicunque tandem illi fuerint, pestilentes esse, adeoque veram pestem fieri, dummodo illi sunt vulgares, & perniciosi, ità quidem ut GALENUS nusquam, & nunquam aliam nobis pestilentiæ formam tradiderit, nisi quàm hujusmodi bini termini, tanquam determinati cancelli circumscribere, & concludere videntur.* Hactenus MASSARIAS. Quæ ego hic loci duobus insignibus exemplis, notatu dignissimis, illustrabo: Anni complusculi exacti sunt, cùm, nulla grassante Peste, Ego ad Civis Haffniensis ponè Basilicam, ubi naves in portum subducuntur, habitantis Viduæ filium, natum quasi annos duo de viginti, aut ipsos viginti vocarer; qui cùm acutissima febri laboraret, jussi, vena illi mediana incideretur: & remittebantur, aut potius remitti solùm apparebant in illo symptomata. Quia verò ex urina, ex pulsu, capitis dolore, faucibus arescentibus, ægro insomni, &c. gliscere adverterem malignitatem delitescentem, præscripsi ei alexipharmaca temperata: Sed nulla insequente crisi; hinc tertio morbi die exacto, primò: extremos pedes insigniter rubere, instar illorum, qui in solio aliquandiu consedere, pedes loturi; dein in suris

tres

tres quatuorve pustulas cernere erat, illis simillimas, quæ ab affusa ferventi aqua casu, vel dedita opera à cantharidibus epidermide integra excitari solent; sed quæ longè diametrum Joachimici excedebant; parvi verò intermisso temporis spatio, tam altè carnem musculosam exedentes, ut ligamenta, & tendines denudarent, quibus neque Ego, neque *Chirurgus solertissimus* CHRISTIANUS WINEKE mederi poteramus: quippe usque adeò pravorum morum hic morbus erat, ut sexto die, tyranno qui comparatur, ægrum jugularet. Malignitatem sanè hic, eamque satis insignem sangvinis corruptionem in causa fuisse, quæ pessundedit hunc adolescentem, dubium nullum est; sed non pestem ipsam. Cur non? quia me scio, à simili malo tunc temporis nemo in ædibus simul ac filium extulisset mater, neque in vicinia quisquam, neu in populosissima hâc urbe alii aut complures vel correpti, vel neci fuerunt dati. Econtra postquam grassantibus quidem Anno M. DC. XLIIII. hic Haffniæ epidemiis & febribus petechialibus, filiolam unicam amisissem; pestis sævitiâ spatio XXIV. horarum, Me peregrè absente, Naturæ cedentem, postridie ejus diei, quo illius funus processerat, ac compositum erat, *Juvenis optimus, Liberorum meorum quondam moderator* CONRADUS OLFFENIUS *Hanoveranus, postea in urbe patriâ ad Divum Ægidij, verbi divini præco fidelissimus nunc p.m.* febri corripitur dolosa, miti, ac blanda, cui propinavi illico alexipharmaca, & macula unica, & sola, palmam longa, transversam lata [accidit verò id quandoque in malignis febribus, ut loco innumerabilium lenticulari magnitudine macularum prægrandis, & unica alicubi v. g. in humeris, lumbis, femoribus, aut sub papilla, vid. FEL. PLATERUM *lib. II. praxeos cap. 2. p.m.* 19. efflorescat] humerum illius sinistrum occupat, colore usque adeò tam saturè violaceo, quàm quo violæ Martiæ sese nobis commendant; cui colore quidem similibus, magnitudine verò disparibus quoque hinc inde conspersum fuisse, filiolæ meæ desideratissimæ cadaver, astantes retulerunt; Miratus verò modò laudatus Juvenis optimus has in cute mutatas qualitates, quare brachio nudato consilium me rogat, cui sudoriferis repetitis, macula hæc prægrandis in tumorem attollitur, qui in abscessum erupit; quem *artis Chirurgicæ peritissimus* MARTINUS SIXTEN à MÔNICHEN, *Amicus, & Compater meus honorandus* decenter obligavit & quoque consolidavit: Sed hic affectus, quia grassarentur tunc temporis Epidemiæ, Petechiales, Pestilentesque Febres, dici meretur pestis, licet, DEI clementia interveniente, neque hunc Juvenem, neque quemquam ex numerosa mea Familia, præter scitissimam Fliolam è medio, sustulerit. Verùm sapienter dictum: in verbis faciles nos esse decere, dummodo in rebus belle inter nos conveniamus. Ast hæc rei summa est; quòd posthabita omni putredine, ubi ignis animalis in corde itâ exardescit, ut excedat gradum caloris balnei arenarii, parùm absit, quin gignantur morbi maligni; verùm si ipso actu itâ urat, & adurat sangvineam massam, ut comparari analogicè ad quartum

ignis gradum queat, certò expectandos esse morbos malignos, petechiales, pestilentes, contagiosas febres, pestemque ipsam, quod ni fallor, cùm ex prioribus, tum modò recensitis exemplis, rectè si quis omnia ista accipere aut excutere velit, abunde constat. Restat ergo docendum, ut maculæ in his gignantur.

§. 14. Verumenimvero, objiciat mihi quis hic loci: non semper uri, aut æstuare ægros in malignis febribus, nec proin ignem illum animalem ità corrumpere sangvinem posse, ut in cute efflorescant maculæ, & per consequens dubiis multis non carere hic loci à me tradita. Honesta mecastor oratio, rationem, salemque habens. At sciendum, ob hunc ipsum & dolosè benignum, ac blandum calorem, attamen insigniter penetrantem, & adurentem, pulsu, ac urina optimis visu, dici & reapse esse malignas ejusmodi febres, & hinc usuvenire, ut præter spem omnem, imò sæpicule de improviso similibus febribus laborantes, exstingvantur, quod me demonstrasse in genere, insigni exemplo, id mutuatum ab HOFMANNO juvat; post dein verò tradam nonnulla signa malignarum febrium, ut tandem causa macularum in petechialibus, illarumque differentiæ, innotescant. Est autem hoc illius exemplum, petitum ex HOFMANNI *Exercitat. Juvenil. lib. 3. cap. 1. p. m. 77. Ad quæstionem, Utrum signum pulsus an urina sit certius? dico paucis, Utrumque æquè fallax est, adeò ut inde natum sit proverbium: Pulsus bonus, urina bona, æger moritur. Contigit mihi, cùm in peste Norica anni 32. tractarem egregium quendam Medicinæ studiosum, & ad fenestram, inspiciens urinam, admurmurarem; Est melior hesterna! Ho, inquit ille, urina bona, pulsus, &c. Cùm quærerem: unde hoc habes? A te, infit. Atque ità evenit. Mortuus enim est altero die. Erant in illa lue omnia infida, tam bona, quàm mala.* Hactenus ille. Obiter addo: & tamen misselli nos Medici in his similibusque morbis culpam præstabimus, si quis excesserit, artis nostræ vel præcepta, vel subsidia, superante, devictus, malitiâ? Atque huc dubio procul GALENUS noster *de Prænot. p. mihi* 821. quoque respexit, dum *Medicinæ calamitatem multifariam* appellat. At concesso: neque grassari pestem, neque malignas febres; quid respondebimus, si v. g. Febri, quis, typum habente tertianæ intermittentis laborare occipiat [minimè verò continua] & is tertio proxysmo occumbat; cujus rei lugubre exemplum, *Vir spectatissimus atque optimè de Repub. hac, ac Concivibus suis meritus hujus urbis Præfectus, Compater, ac Amicus meus intimus* DN. GEORGIUS MATTHIESSEN, Anno M DC LVI. IX. Septempbr. nobis exhibuit. Ei verò, postquam primus per XVIII. horas ipsum affligens, paroxysmus desævisset, conquesto de lassitudine spontanea, habitu quidem non plethorico sed venis amplis, & turgentibus, cùm Me Consultore [*Laboret Socrates*, accuratissimi judicii HOFMANNI est effatum *In Instit. suis Medic. lib. 3. cap. V. §. 13. p. m.* 302. animo praxin auspicaturorum quasi inscribendum, *lassitudine spontanea, nec quidquam decedat alioquin ei in actionibus solitis: nisi tu venam seces, brevi gravissimè laborabit.* Addo ex eodem l. c. nisi id fiat, & præsertim in plethoricis: *solet sangvis decumbere in partem ali-*

tem aliquam principem, & vel subitò interficere, obortâ apoplexiâ, Syncope cardiacâ, alio aliquo morbo subitaneo: vel causatâ inflammatione partis alicujus principis, in vitæ periculum ducere] incisa esset vena, ne abiret in continuam, minimè deficienti animo [plerunque enim pravum est signum, si ægri in synochis deficiant, interim dum administratur phlebotomia] adeò floridus, optimæque notæ [memineris velim priorum & meæ de ejusmodi sangvine censuræ §.XI.] sangvis profluxit, quàm pingi, aut describi posset, justo tamen floridior, & ei, qualis pectore, & pulmonibus sauciis emanare solet [seu verbo ut dicam] arterioso nempe simillimus, sed qui, ubi probè per XXIV. horas perfrixisset, murrhinis vasis exceptus, nullo omnino sero dilutus conspiciebatur. Sed contrà adeò siccus, [ut ità loquar citra contradictionem ullam] crassus, tenax, lentus erat, ut vasa rotare, aut omnino invertere, citra ullius guttæ sangvinis dispendium, fundo vasis suprema occupante, eique adhærescente sangvine, posses. Astantes, & Conjux illius Matrona honestissima, nunc quoque ἐν ἁγίοις, mirati floridi hujus sangvinis colorem elegantem; meam super eô censuram requirebant: Quibus meum non erat ex decretis HIPPOCRATIS & PLATONIS aliud respondere, hilari vultu illos fallendo, quàm bono essent animo: sangvinem satis apparere bonum, dummodo fluidior, nec, sero destitutus siccus quasi appareret, parenchymati hepatis consistentiâ, non colore simillimus, tinctum cocco baphica pannum Britannicum æmulans, si non superans. Urina febrilis quidem, attamen non insigniter; pulsus apyrexias tempore omnino æqualis apparebat. Recrudescente verò altera vice paroxysmo; ecce Civis hic, ac amicorum optimus leni delirio corripitur, siti nulla, præscribo decoctum alexipharmacis temperatis remistum, & paroxysmus desiit in sudorem satis largum, & universalem cum euphoria, & quidem tanta, ut lecto surgens cænaret unà cum Conjuge, & Liberis discumbentibus, mensæ in hemicyclo usque ad nonam vespertinam assidens, qua cubitum ivit. Ad quem, cùm manè hora octava reviserem, mihi, & astantibus fassus est, quietissimam DEI gratia se transegisse noctem; pulsu verò explorato, & inspectâ urinâ, me interrogabat, anne hoc die, paroxysmo vacuo, sibi lecto exesse, aut surgere liceret? Cui Ego: non licere. Caûsam hujus sententiæ rogatus, respondebam: pulsum quidem moderatum, at urinam hesterna febriliorem id non sinere, sed post largum illum sudorem indicare, alium adhuc insequuturum paroxysmum, cui se: dictum factum respondens, formidine prioris satis gravis, & vehementis, sustinendo pernegabat; blandè interim, jocando Me compellans; meum ergo inquit, qui urbis hujus Capitaneus sum erit, Tibi, seu Induperatori esse morigerum; qui proin quietissimè integrum istum diem, in lecto se recubiturum, mihi pollicebatur, quamvis aliàs non vacaret tam ob publica, quàm privata negotia. Ego: *Bonum Factum*, ac laudare obsequentiam in ægris raram. Abiens ergo, Me præstò adfore velle sub vesperam, & pa-

& paroxyſmi tempus, in me recepi, quo typum Febris obſervare poſſem accuratius. Interim amici veniunt, abeunt, redeunt, confabulantur ipſique de meliorеſcenti valetudine, imò certa, ſpe jam integra gratulantur. Securis verò his omnibus, lenis ſomnus inter amicabiles confabulationes ipſum occupat: Qui experrectus, interrogatur à Conjuge dulciſſima, ut haberet illius animus? Qui quàm optimè, inquit, ceu qui ſibi pulchrè videbatur ſanus. Parvo tamen intermiſſo temporis ſpatio, advertit Conjux, poſcentem Julapium, aut decoctum alterans alexipharmacis remixtum, plus juſto maritum calere, quem proin adhortata eſt, ut biberet ſal antifebrile uti juſſeram; qui tempeſtivè id ſibi propinari poſſe ideo ambigebat, quia nullam perciperet paroxyſmi exacerbationem, quam expectandam ſibi adhuc arbitrabatur. Parent ipſi quoque adſtantes, & Conjux, quæ tamen nuntium ad ædeis meas mittit, me exoraturum, ut quaſi aliud agendo, ad herum quoque diverterem: me verò famulus illius domi non offendit meæ. Inſtat ergo conjux ſal antifebrile dilutum ſibi propinari pateretur maritus, qui iteratò id abnuit, optima antidhac uſus valetudine, nec condocefactus ad medicamentorum uſum, à quibus natura abhorrebat. Sed dum variis de rebus ultro citroque ſermones cæduntur, conjux blandè compellavit Conjugem, eum exoratura, ut extra ſtragulum protenſum pedem nudum retraheret, aut ſolùm ſibi lodice contegendum concederet, qui morigerus Conjugi, caput quoque, rogatus, non obnubit ſolum aut lintea cucupha operit, ſed eam explicatam ità ſibi aptat, ſuis ipſius manibus, ut commodè caput reclinare ſuper pulvinar poſſet. Pergunt ἀμφοτέρωθεν colloqui hi conjuges, ſed maritus ſine ullo lethali ſigno, extremis non frigentibus, ſine ſudatiunculis ullius corporis partis, ſponte ſua dextram extendens, animam Servatori, ac

——— *Imperatori DEO,*

Cui militat gens omnis hæc mortalium

reddidit, ac ſine gemitu labantibus genis veram εὐθανασίαν, per Servatorem noſtrum DEI, ac Mariæ filium eſt conſecutus. Maximè verò hic loci notandum arbitror: Civem hunc patremque familias optimum, non ſolum pauculos dies, antequam febri corriperetur, ſed aliquot ante obitum menſes [ut mihi ab illius vidua mœſtiſſima, & proximè habitantibus vicinis relatum eſt, omnibus conſternatis repentino hoc illius veluti ex ſcena exceſſu] ſubinde conqueſtum eſſe de ſpontanea laſſitudine, & ingeminaſſe identidem hæc verba: Er wüſte nicht/ ob es Alters halben geſchehe/oder wie ihm ſonſt wäre; ſeine Beine/die wären ihme ſo müde/und wolten ihn faſt nicht tragen: Alios verò obſervaſſe, vel proximis Junio, & Julio menſibus eum conqueſtum eſſe, de cœlo inclementi, & frigido. Ut taceam ſenis hujus cruda viridique ſenecta, ceu quinquaginta & ſex annos ſolummodo nati manus, junctis dextris ab Amicis ipſum ſalutatum quandoque venientibus aliquandiu frigere inſolitè, obſervatas fuiſſe. Sed quà

morbi

morbi specie obiit hic Paterfamilias ac Civis optimus? Pestilenti asserendum est febri, sine peste; vel, si putas, id contradictionem esse in adjecto, cùm non sit, si recordaris eorum, quæ ex MASSARIA & HOFMANNO superius §. 13. retuli, certo affirmandum, Syncopen Cardiacam, minimè verò apoplexiam è medio eundem sustulisse; de quibus utrisque morbis, nemo hactenus, Me scio, quidquam quid doctius, aut accuratius, post P. SALIUM DIVERSUM, HOFMANNO [neque enim defraudabo eum eâ gloriâ, quam sua sibi præclara eruditione, fœnum in cornu gerens, promeruit] est commentatus; arguente olim, & quidem acerbè & insolenter satis, me sectantem illius vestigia, & dogmata, in Disputatione quadam, *Celebratissimo nostro* OLAO WORMIO p. m. quem consultò magis ob politicas, quàm ullas alias rationes, tunc temporis, vel coram in Auditorio, aut Collegio, vel post dein scripto, amicorum amicis persvasionibus non repugnans, refellere supersedi. Sed cum uterque Fatis cesserit, ac cum mortuis solùm Larvæ dicantur luctari, censura posterioris & severa animadversione in illius theses, aut disputationem, meritissimo etiamnum abstineo, ne mortui leonis barbam vellere velle videar, minimè magna loquens, prior, quod indignissimè factum, Ego lacessitus, non meam gloriolam captans, sed commoda & publica studia meo studio provecturus, in Regnum hoc advena.

§ 15. At at iterum malignarum & in specie febrium petechialium causas [ὡς ἐν παρόδῳ & ubi dabitur occasio de gangrenâ, Lue Venerea, Elephantiasi, Morbillis, ac Scorbuto, quo petechiarum generatio illustretur manifestius, cum hi adfectus in tertio quodam, magis ac minus conveniant, simul acturus] earumque signa capessam; quippe quæ Febres ab invicem gradibus solum distare videntur. Notum verò jam ex prioribus arbitror, neque pulsum, neque urinam, addo neque sangvinem omnia apparenter bona, tuta nobis sufficere posse signa ut benignos ac bonorum morum morbos à malignis discernamus; neu quoque [per bonam consequentiam ità concludo] nos ex omnibus iis, certa & indubitata signa adipisci posse, ex quibus constet, fore ut ex Synocho non putrida dicta, petechialis plus vel minus contagiosa, & pestilens evadat, verùm ob polymorphiam, ut ita dicam, opus esse multorum Syndrome symptomatum: Quippe in iis adeò sangvis corrumpitur, ut comparari quasi ad taurinum queat [quem à *Plutarcho*, Themistoclem, invidia civium relegatum ad Artaxerxem; ab Herodoto verò Psammenitum Regem Ægyptiorum victum à Cambyse, veneni loco hausisse accepimus] qui etsi venenum non sit, in venis, ad malignas, petechiales, pestilentesque febres dispositorum adhuc contentus, parùm tamen abest, quin effectu, instar cicutæ, vel opii eos enecans, venenum sit, vel venenum sit appellandus. *Nemini* quippe *dubium erit* [ut cum P. SALIO DIVERSO pro! quam præclare eruditionis & optimè de arte nostrâ merito Medico, ex *Cap. VII. de Febre Pestilenti p. m. 31.* loquar] *quod humores corporis nostri eo corruptionis quandoque deveniunt,*

niunt, ut propriam amittentes naturam, alienamque subeuntes, lethalibus venenis consimiles reddantur. Corruptio hæc non est putredo, longeque à putredine distat corruptio. A gladio, à veneno, ab apoplexia, à multisque aliis internis morbis [addo verbi gratiâ à gangræna, scorbuto, lue venerea] *corrumpitur homo, non tamen putrescit: in corruptione solum propria rei natura intima destruitur: at putredo est via in corruptionem, putredinique additur & calor, & fœtor:* Quem fœtorem nempe, dudum in dissertatiuncula aut παρεκβάσει hâc meâ, si priorum memineris, abesse in acescenti, ut ita dicam, aut potius corrumpi incipiente sangvine, docui & exemplis confirmavi. Obiter autem noto; dubio procul, ultima SALII verba, corrupta legi, quæ ita habent: *Ast putredo est via in corruptionem, putredinique additur, & calor & fœtor:* pro quibus meo arbitratu, legendum erit: *& corruptio est via ad putredinem, putrediniq; additur, & calor & fœtor.* Nam ex lectione priori aut vitiosa, inferri posset, omni corruptioni adesse putredinem quod falsum, & contra sensum ipsius autoris est, qui docet, *à gladio, à veneno, ab apoplexiâ, &c. corrumpi hominem, non tamen putrescere.* Nisi dicemus sub putredinis vocabulo, authorem intelligere digestionem aut fermentationem Chymicis notam: Quam de Cathedris disputantes concedimus quidem corruptionis nomine, haud putredinis venire, aut insigniri posse. Corruptio enim, est genus; putrefactio illius est species. Ut taceam quoque distinguendum esse, inter naturalem & artificialem putrefactionem; quarum posterior διάκρισις aut ζύμωσις longè rectius, quàm putrefactio aut σῆψις & dicitur & revera est. Sed cui hæc à me allata, nondum sufficiunt, ei *celebratissimi Polyhistoris & Professoris, in inclutâ Gröningensi Academia* DN. MARTINI SCHOOCKII *doctissima commentaria de fermento & fermentat. ac inter ea Cap. tertium* evolvendum commendo: In quam sententiam quoque descendit ANTONIUS MENIOT, *Galliarum Regis Consilarius ac Medicus Ordinarius*, qui in eruditissimo suo Tractatulo, *de Febribus malignis, histor. & curat. pag.* 14. 15. 16. evincit, & veluti ad oculum demonstrat, à corruptione longè differre putredinem. Sed nolo λογομαχεῖν, qui id studeo, ut intimè penetrare in Naturam, ac ex phænomenis rerum Naturalium, rimari illius opera queam, non verba captans, neu nodum in Scirpo quærens.

§. 16. Accidat ergò, ut quis Synocho putrida dicta laboret, nec [ignoscat mihi benevolus Lector, quod identidem idem, & unicum solum exemplum, ex multitudine aut plethorâ febricitantis, aut cujus febri cibus & potus potissimum, neglectis aliis rebus non naturalibus, occasionem dederunt, proponam; secutus GALENI vestigia vide §. 6. quò accuratius mentem meam, animique mei sensa, in *hâc Digressione* explicem] primo in hæmorrhagiam criticam desinat; quid frequentius? quàm quod lingua intumescat, mox rubra, jam arida, scabra, fissa, dura, nigra appareat; Vox exaudiatur acuta, clangosa illi similis, quam clangentes edunt grues: seu ut incomparabilis DURETUS, *in Coac. Hipp. lib. 3. cap. 1. tract. IV. de Vomit. text. 11. pag. m.* 496. loquitur: *rauco & tremulo clangore horrisona, tubæ*

cujusdam

cujusdam modo, quem edit asperitas instrumenti vocalis, id est, arteriæ [scilicet asperæ] *non quidem catarrho imbutæ, sed nimiâ siccitate squalentis & horridæ &c.* Sputa quoque observantur rotunda, qualia *Hippocrates VI.* Epidem, *Pleno cuidam nomine*, nec non ei, Anonymo, qui in Plinthio decumbebat, sed utrisque delirium portendisse refert; inter quos posterior, postquàm ei sanguis è nare sinistrâ profluxit, die quinto absolutus est. Hæc & similia signa, ubi apparent in febribus malitiâ non carent, quamvis non semper eæ lethales aut nec dum contagiosæ sint.

§. 17. Verùm arcessamus hic anatomicas rationes in subsidium, quò demonstretur, hæc Symptomata provenire, à sangvine seröque adustô, in Synochis putridis dictis, continuis, ardentibus Febribus: imo nonne iis laborantium lingua adeo atrâ, & excocta, redditur, quam carbo est, quæ vel nova excrementitia pellicula obducitur & veluti incrustatur. Sic memini me, in hoc Regnum advenam & hujus Regiæ Academiæ civem abhinc triginta & septem annis, observasse, Chirurgum solertissimum, MARTINUM SIXTEN à MÔNICHEN, Consuli Malmogiensi JACOBO CLAUSEN, spatio sex vel septem horarum, aliquot dies hemitritæo laboranti, excoriasse omninò linguam, alia subinde pellicula, totidem horis intervenientibus, ob ductam, quam colore subalbidam aut cineraceam, ceu à forma calcei, calceum novum calcearius seu sutor; ille de lingua detractam reponere posset, ubivis locorum quo vellet. Qui tamen tunc temporis DEO benedicente, & alexipharmacis ipsi propinatis, ex morbo gravissimo, qui cum conflictabatur eluctatus est. Ob hæc vero in vivo adhuc corpore observata phænomena, calidum innatum aliàs ignis animalis dictum, præter naturam, (ut illa Ovidii huc transferam:

> *Non secus exarsit, quàm cum Balearica plumbum*
> *Funda jacit volat hoc atque incandescit eundo,*
> *Et quos non habuit, sub nubibus invenit ignes.*)

instar culinaris ignis, excoxit linguam viventis ægri, aut eam vivam, ita exsiccavit, ut incrustata fuligine, excrementitiorum humorum, tenacium ac glutinosorum, videri potuisset, lingvæ bubulæ in fontana elixæ, sive membranam sive tunicam ipsissimam repræsentare. Anne ergo? dictus ignis (animalis nempe) est aut nominari debet Elementaris? maximè. Vid. etiam *paragraphos* 4. & 11. ubi asseritur, quod, quicquid hic est, elementare sit. Et nonne ob eundem ignem animalem, Bibones, Caldios, Merones, *ut ex Suetonii Tiberio*, illa mutuem, vivam flammam, ex suis ipsorum faucibus, ceu Orci, aut certò Æthnæ aut nostratis Heclæ Islandiæ, montium omnibus notissimorum, ubi à vino adusto, (quod tam avariter ingurgitant, quàm arcus aquam bibit, *ut cum Plauto* loquar) incensus incanduit, eructare cernimus? licet antea §. 4. divinior esse dicatur elementis; quem insigi paradoxo, & novo, *Celeberrimus* HARVEUS, *negat inesse semini, nec disper-*

gi per Cor, ſed in ſanguinis guttulâ, Cordeq; priori, in pulli generatione, ante Cordis, ſeu quarto ab incubatione die conſpici, & micare, refert, *ſanguinemq; ipſum, ob hunc ignem, primum eſſe vivens, & ultimò moriens*, paſſim ſtatuit, *in eruditiſsimis ſuis exercitationibus, de generatione animalium. Anno* 1651. editis; quem exercitatione 16. pag. 51. *punctum micans, repræſentare* aſſerit, imò ibidem, *ad ſcintillam tanquàm è nube próſilientem in diaſtole*, comparat. Huc facit ergò, lux animalium, de qua, pro! quam doctè FORTUNIUS LICETUS *Italus*, *& noſtras* THOMAS BARTHOLINUS ſcripſere; quorum alter *Ariſtotelis*, alter *Democrati* ad famam hoc ſeculo perrexit. Ego certè [ſed præfiſcinè dixerim,] propemodum inducor, cum ſuis rationibus, maximè probabilibus, mihi præluxerint, ut videar mihi, me videre animi oculis, *micantem lucentemq;* ob Hipp. textum, *ex Galen. de V. R. in acut.* citatum, & §. 4. hujus meæ digreſſionis legendum, *guttulam ſangvinis, primum pulli veluti ſtamen, & vitæ originem primam*; Cujus HARVEUS meminit. Quin & juvat hanc illius cenſuram (quæ *exercitatione* 70. *p. mihi* 244. *de generatione animalium* exſtat) de calido innato, illiuſque genio & indole, hic loci introducere, cujus hæc ſunt, ipſiſſima verba. *Quoniam* (inquit) *ſæpè*, Calidi innati *mentio incidit, licet hic (epidorpidis loco) de eodem & humidô primogenio, paucis agere, idq; eò lubentius, quod multos videam, nominibus iſtis deliciari, cum rem ipſam tamen, (meo quidem judicio) minus intelligant. Non eſt opus profectò, ſpiritum aliquem diſtinctum, à ſangvine quærere, aut calorem aliunde introducere, Deoſve in ſcenam advocare, Philoſophiamq; fictis opinionibus onerare; domi ſcilicet naſcitur, quod vulgò ab aſtris petimus. Solus nempe Sangvis eſt calidum innatum, ſeu primus natus calor animalis; uti ex obſervationibus, circa generationem animalium (præſertim pulli in ovo) luculenter conſtat, ut Entia multiplicare, ſit ſupervacaneum. Nihil ſanè in corpore animalium, ſangvine prius aut præſtantius reperitur: neq; ſpiritus, quos à Sangvine diſtingvunt, uſpiam ab illo ſeparati inveniuntur. Quin etiam Sangvis, ipſamet, ſine ſpiritu & calore, non Sangvis, ſed cruor appellandus eſt.* &c. &c. Eſt ergo & manet elementaris Naturæ *Calidum innatum dictum, aut vocatum in Phyſica Schola*; quod re vera, non nutritur. Sed cum id in ſenibus veluti torpeſcens in venis, vino generoſo, vetuſtate edentulo, defæcato, aut cujus titulum delevit vetuſtas (Germanicè id appellatur, ein auffrichtiger Edler Rebenſafft; ein Reiniſcher / Hochheimer / oder Rinckauwer alter Firnerwein) refocillari compertum ſit, ſi eo (*ut cum* Plauto *loquar*) ætatem irrigent: hinc vinum à multis retrò actis ſeculis, *Lac ac Anima* Senum audit; Quod mediante circulatione Sanguinis, ceu novum cordi fomentum ſuppeditatum, Senum calidum innatum veluti nutrit, & illorum mordaces ſollicitudines, ita diluit, ut omnes ſpes ſint ratæ, nec gravem militiam, aut pauperiem crepent. Interim nemo negare poteſt, ſi vinum arte Chymica, in ſua principia reſolvas, præter Sulphur, Salia, tantillum olei, aquam & ſpiritum, in eo reperies nihil, quæ omnia per craſin certam, in vino convenint, & coëunt; & ob eam, ſoli vino propriam, nulli alii corpori phyſico communem, vinum eſt vinum. Unde ergò cælo deducemus

calidum

calidum innatum cum vinum, & ei ſimilia elementaria, non quidem calidum innatum, reapſe nutriant, attamen nutrire videri queant; quia faciunt ut reſiſtant cauſis illi nocentibus. Sic aqua bitumini foſſili Scotico, (den Schottischen Steinkolen/) affuſa non quidem nutrit illius flammam, aut convertitur, aut transmutatur in eam; ceu panis nos nutrit, dum in ſanguinem in nobis abit; at facit, ut flam̃a exardeſcat luculentius, & acrius urat, mox ipſum ferrum fundat, ut in officinis fabrorum ferrariorum cotidiè cernere aut obſervare licet. Si ergò elementaribus, cujusmodi vinum eſt gaudet calidum innatum, ad ſui conſervationem, meritiſſimò illud ipſum eſſe elementare pronuntiandum, citra multas tolutiloquentias, aut altercationes cathedrarias, arbitror. Quippe qui ſuſque deque, hîc loci ἀκριβολογίαν Cathedrariam habeo: & quidem *Perſio* monitore admonitus

> (*Non equidem hoc ſtudeo, bullatis ut mihi nugis,*
> *Pagina turgeſcat, dare pondus idonea fumo.*)

Verum Philoſophicis hiſce ſpeculationibus relictis, meum eſt preſſius proſequi, linguæ torrefactæ cauſas, quas ut compendifaciam, ex SPIGELIO, *inclutiſſimæ famæ anatomico*, eas adducam: qui *de corporis humani Fabrica, lib. 6. cap. 2. p. 224.* liquidiſſimis verbis nos docet, cur in ardentibus febribus, Lingua nigreſcat, imò difficulter ægri deglutiant. *Etſi*, inquiens, *verum eſt* [*quæ cauſa vulgò affertur,*] *ex univerſo corpore vapores ad caput plurimos transmitti, non minimam tamen hujus nigredinis culpam arteriæ vicinitati licebit adſcribere, qua accenſa, ac inflammata, œſophago, & ſic conſequenter, ipſi etiam linguæ gravia mala impertit.* Quod ſi verò philoſophica iſta regula hic loci locum habet, nempe: unius poſitionem, non eſſe alterius excluſionem, nec Thymus omni hîc vacat culpa, ut deinceps demonſtrabitur. Quare quoque DURETUS, *in Hipp. Coac. lib. 2. Cap. XVI. textu 14. pag. m. 217.* quando ſputa ſyncera, glutinoſa, alba atque rotunda &c. exſpuuntur, docet, quòd neceſſario, *hæc pravitas cernatur primum in ſumma difficultate ſpuendi:* & paucis intermiſſis inquit: *Sputi hujus conditio, opinionem facit, peruſti humoris ab æſtu, & ardore, quo pars ipſa unde ſputum venit, conflagrat. Quæ cauſa eſt, cur alibi de ſputo rotundo, prognoſin ita ſcripſerit:* τὰ ϛρογγυλέμενα πτύελα, παρακρεϛικά. *Sputa rotunda, inquit, deliria indicant. Ad quem locum ſcripſit Galenus VI.* Epidem: *talium ſputorum cauſam materialem, eſſe craſſitudinem, & lentorem humoris in bronchiis pulmonum cumulatè collecti; efficientem verò, immoderatum calorem.* Quæ omnia ut non nego ex decreto veterum, & ipſius HIPPOCRATIS accidere phreniticis, ita ſæpè ſimillima his exſpuere ſputa prava, febri maligna laborantes citra ullam delirii ſuſpicionem, experientia optima rerum Magiſtrâ, edoctus ſum: At tum potiſſimum incuſandum Thymum [miror Anatomicos in hujus ſingularem uſum antidhac non inquiſiviſſe ſollicitius, nec Practicæ Medicinæ Doctores, de illius morbis, notatu dignum quicquam eſſe commentatos] eumque tum temporis, ingenti ſicca intemperie labora-

laborare ratione optima me defendere posse arbitror. Vid. in hanc sententiam Leydensis Academiæ *Celeberrimum eruditissimumq; Doctorem publicum* Dn. Johannem Antonium van der Linden, *articul.22.Med.Physiolog.pag.25.§,208.&c.* Quod autem hîc Thymum quasi incusem ob sputum, quod maligna febri laborantes pravum quandoque excernunt, id usuvenire iis, scisco ob vasa, quæ ad hanc glandulam (meritò *jugularem* appellandam) distribui *Eruditissimus & Indefessi laboris Anatomicus,* Thomas Whartonus *Britannus in Adenograph. Cap. XVI. de Thymo* pag. 106. docet; in qua glandula si popularis illius aut civis potius, *doctissimus quoque anatomicus* Fr. Glissonius, reperisset, vas aliquod excretorium (vide illius *anatomiam Hepatis Cap. XLV.pag.*443.) vel ductum aliquem, illi cum glandulis maxillaribus communem, aut qui Thymum iis jungeret, ut ita per Sympathiam, materia peccans, illis communicari posset: de quo loquendi modò, *Eruditissimi* Duncani Liddelii *institutiones lib.3. Cap.1. pag.183.* Medicinæ tyronibus evolvendæ sunt; utique certius de vero illius usu, sputum vel gignendi, vel id facilitandi, denique excernendi constaret. Quàm studiosè interim discipulus quondam meus, magno emolumento Medicinæ Candidatorum, nostras Nicolaus Stenonius Haffniensis, sputi seu salivæ generationem, ex multis tricis extricarit, id pridem in anatomicis Scholis Europæis Anatomes Studiosis innotuit, ex illius eruditissimis commentariis. [Et ut iterum hîc ad testimonium laudatum Whartonum citem] *ubicunque vas excretorium peculiare reperitur, non putandum est, frustra conditum fuisse; sed speciali cuidam excretioni destinari. Cumq; excretio quælibet determinati excrementi, humorum residuorum depurationi inserviat, quod in emolumentum totius cedit: sequitur hoc ipsum esse officij publici.* Vid. illius *adenograph.* Cap. XXI. de glandulis maxillaribus. pag. 133. An ergò cum eodem authore Cap. XXXI. de Prostatis, p. 213. affirmabimus? ut quemadmodum foraminula prostatarum in sanis quidem inconspicua sunt, in gonorrhæa autem laborantibus & defunctis evidenter cernuntur; ita *vas illud*, quod cum Glissonio, in vivis ac sanis desidero, *excretorium* ex Thymo in os, vel ad glandulas mxillares, analogon forsan illi respectu utilitatis, quod ex aure in palatum [cujus antea §. 13. à me facta est mentio] desinit, in sanis inconspicuum imò ne quidem in mortuis sit? Maximè cum incomparabilis Spigelius *de hum. corp. Fabrica VIII. Cap. 18.p.m.*279. hæc de pudendo muliebri tradat: *Ultimò tandem loco, nec negligenda sunt,* duo cæca foramina, *quæ statim apparent diductis labiis, sed fere tantum in vivis, cum admodum parva sint, in quibus serosus quidam humor, non parva quantitate prodit, qui maris pubem in coitu madefacit.* Nisi dicemus, minimè sollicitos nos esse debere, de vase isto aut excretorio aliquo eoq; singulari, cùm Whartonus Cap. XVI. de Thymo. p. 102. *In vitulis aliisque non nullis animantibus thoracem egressum thymum, bifariam dirimi, & utrinque latera trachææ arteriæ* [quod maxime notandum] *perreptantem, ad maxillares glandulas, & non nunquam ad parotides usque protendi observarit,* ut ita hæ

glan-

glandulæ, Thymus scilicet & maxillares in homine quoque, revera continuæ sint, æquè ac geminæ tonsillarũ glandulæ, ut notat WHARTONUS Cap.XXI. pag. 138. spatiosa satis distantia interveniente: Unde per consequens, per occultos naturæ Mæandros, in eas mox ex iis iterum in ductum salivalem sub lingua situm, materia peccans in febribus malignis, crisi interveniente excernitur, licet meatus hi visum effugiant. Certè Argò quoque erit oculatior, qui, ubi non tument pare, aut sanguine non stillant hæmorrhoidum anastomoses, eas in corpore sano nobis demonstrabit. *Quid! quod venæ portæ ramus splenicus & arteriæ item ramus splenicus, sinister vocatus, post ingressum in lienis corpus*, teste Incomparabili HOFMANNO, *subitò in vasa degenerent, tam exilia, ut fibræ potius videantur esse imperforatæ; quin ita etiam invicem implicantur, ut nullus oculus tam perspicax sit, qui discernat.* Vid. illius institutiones Med. lib.2. cap. 35. §. 5. pag. 91. Ut taceam sæpè laudatum WHARTONUM cap.XXI. *de gland.maxill.p.136.* observasse, *majorem esse quantitatem materiæ salivalis, per has glandulas excretæ, quam facilè credas ab exiguis illis arteriis & venis, quæ ad has partes distribuuntur, adferri posse. Non negamus tamen, quin fortè arteriæ quoque aliquid ad hanc humoris illius accumulationem conferant.* Atque dubio procul dum Lingua in febribus malignis inflammatur, licet Thymus in sanis, & ætate provectioribus, ex observatione WHARTONII, imò ipsius *Galeni*, exigui sit ponderis vel magnitudinis. Imbibit tamen ut plurimum seri, ut ita dicam febrili æstu inflammati [agnoscis hic DURETI loquendi modum] aut ut antidhac semper locutus sum, corrupti, *ob situm Thymus quem habet, inter divisiones arteriarum & venarum subclaviarum satis insignium.* Sanè ita ratiocinor, experientia interveniente. Quippe quem Thymum alias, novi ex quorundam *Tabacibibulorum*, & lue Venerea investatorum cadaverum sectionibus, id doctus, tam certò instar spongiæ ab excrementitiis, corruptis humoribus intumescere, quàm ter tria sunt novem: Unde quoque sonora non sunt voce, ægrè cibum potumque deglutientes, sæpè per foramina nasi innares ea excernentes, ægrè respirantes insuper compresso, à tumore Thymi, Oesophago, renitente cartilaginosa aspera arteria, [hic ilico ignarus anatomes crepabit *occultam causam, morbumque Formæ*, de quo infra uberior erit dicendi locus] imò suspicor eosdem, ob pravam hanc Thymi constitutionem, fætenti esse anima, salvis adhuc pulmonibus [id enim si ita se non haberet, aut exulcerati pulmones essent, quî quæso fieri posset, ut spatio sex septimanarum, lue Venerea infectis mederi possemus] non tussientes, sed sputatores ac screatores: unde quis, si non facilè halitu, & sputo contagioso & osculo, [quod quarta linea amare est,] spissiori

Columbatimque labra conferens labris

Scorti alicuius triobolaris, aut publici prostibuli, inquinari perfacilè potest. Quæ omnia de Thymo hic tradita, quoque lue Venerea laborantium medela confirmat, facta per ptyalysmum artificialem, quem collo circumdatum empla-

emplaſtrum de Ranis Vigonis ex ſimplo vel duplo Mercurii currentis, conſtans, longè facilius, quam Zona Mercurialis promovet, & accelerat. Non tamen interim quemquam offendat hîc loci moneo, quod WHARTONUS defendat: *Thymum* in ſanis, & provectiori ætate, exigui eſſe ponderis ac magnitudinis; Quæ meo arbitratu vel de exquiſitè ſanis, vel mediæ, vel conſiſtentis ætatis, haud ſenibus, valetudinariis, morbidis, Catarrhoſis deniq; intelligenda ſunt. Quippe animum induco meum ita cum Thymo comparatum eſſe, quaſi cum peritonæo, quod pater atque Princeps Anatomicorum, præceptor olim meus, ſemper Parentis loco, mihi honorandus, JOHANNES RIOLANUS, in *ſui enchiridij Anatom. lib. 2. cap. 13. p. 95.* notat, percraſſeſcere in heluonibus, ab umbilico, ad cartilaginem Xyphoidem, ſeu enſiformem Thoracis, ut in iis facilius obſequatur, diſtento Ventriculo; imò idem in mulieribus craſſius ab umbilico, ad pubem conſpici aſſerit. *Vid. quoq; ejusdem Anthropog. lib. 2. pag. 153. 154.* Defendo ergo Thymum in morbidis ac ſeneſcentibus aliter eſſe conſtitum, ſeu p.n. ſenſim augmentari, ſeu intumeſcere, & hinc ſenes frequenter quoque ſpuere ac ſcreare citra ullam pravam pulmonũ diſpoſitionem, ac anhelos ubi perpauculos paſſus obambulando, & quidem æquo, ac minime confragoſo, in loco, confecerunt, repræſentare, aut iis ſimiles videri, obſervamus. Invito verò, imò obteſtor hic loci, Anatomes ſtudioſos, non ruminentur ſolum hæc, ſed quoque anatomica enchireſi interveniente, veritatis indagandæ ſtudio, deinceps hæc ſcrutentur ſagaciter. Sed ad rem. Ut ergò antea docui, ad labia propelli Naturæ robore, in Synocho non putrida dicta, fermentum febris, ita tale quid moliri eam, ſed ſpe fruſtratam in Synocho putrida, ubi extundere è naribus ſanguinem non poteſt, per Thymum vaſaque Salivalia, aut ductus Salivales WHARTONI ac STENONII ſalivatione interveniente, excernere dictum fermentum, affirmandum videtur. Notatu interim digniſſimum exemplum eſt, quod DN. WILLIS *loco paulo ante citato pag.* 183. §. *VI.* his verbis recenſet: *Novi quendam, in declinatione febris, cui non ſolum hujuſmodi lentoris incruſtatio, in partibus Oris ſucceſſit, verum ſalivatio copioſa, velut ab aſſumpto Mercurio, cum fœtore anhelitus, item linguæ & gingivarum intumeſcentia, per plures dies ciebatur.* Hactenus ille. Addo: quod ſi verò dicta Salivatio ex ſententia non perficitur tum ingraveſcunt Symptomata; & ſputum vel, omnino nullum, aut moleſto conatu, & quidem cum ſibilo, ab ægris quaſi pipientibus, exſcreatur. Quin & parotides aliquando quoque unà apparent, cum Thymus, ut WHARTONUS docuit, & ex prioribus conſtat; nonnunquam ad eas protendatur: quæ rara & elegans obſervatio adoream meretur, cum rationes Medicis Practicis ſufficiat, cur quibusdam non omnibus, in febribus malignis parotides protuberent; Lingua ut antea innui oppidò aduratur, *ægrique, fiant* ut *Hippocrates* loquitur lib. 1. Epidem, ſect. 1. textu 28. 29. ἀπόσιτοι πάντων χρημάτων διὰ τέλεος ἄδιψοι. De poſteriori verò horum Symptomatum,

GALE-

GALENUS *in Comment. Tom. III. p.m.* 420.C. ita judicat: *esse maximum signum pravitatis, ubi calida & adurente febre aut fluxione delabente in ventriculum acri non sitiant,* [quod maximè notandum] *idque partus, virtutem sentientem deperditam indicare & exstinctam; si quidem diversos inter se affectus non sentit æger.* Tale ergò ob corruptum sanguinem, tunc temporis Lingua, quale quid ob artificiale causticum cutis brachii, ubi v. g. ad bicipitem musculum fonticulum arte in ea exsculpimus, patitur; id est, Lingua expers facta sensus, imò addo quoque gustus est. Quin nec febris, gliscentibus hisce Symptomatis ad tactum manuum, pedumve sævire, sed contra vel blanda vel mitis, vel vix illa affligere ægrum advertitur. *Vid.* GALENUM *IV. aphorism.* 48. *p.m.* 123.*D.* quod ipso arbitro fit, *ubi totus ex toto corpore sanguis ad locum trahitur patientem*, quem dudum in febribus dixi esse Cor, & per protopathiam, in ejusmodi febribus malignis id laborare, & pati ceu Sol silente Luna in Eclipsi. Patitur verò omnia hæc æger, ob insignem sanguinis corruptionem, *eamque tam effatu dignam, ut non possit iterum, ex Naturæ coctione, ad primam humoris redire bonitatem*, ut GALENUS, *loco supra citatô* loqui amat [qui fundamẽtum quasi hujus dissertationis est,] id est, qui ita liberè, seu ut Natura postulat, per pulmones, illorumq; & cordis vasa, circulari amplius, ob defectũ seri, aut ob serum justo spissius, lentius, glutinosius redditum, nequit. Interim tamen, ut perdoctè quidam eorum, qui in circulationem sanguinis commentati sunt, loquitur, [cujus tamen nominis, DEUM testor, recordari non possum; cæteroquin illum condignè hic laudarem] inquiens: *non omnes omninò una vice intercipiuntur arteriæ, sed cor ipsum adhuc movetur, moventur arteriæ, movetur sanguis, usq; dum possunt, dum ut volunt non licet*: seu ut quoque emphaticis planè verbis, circulationem sanguinis, ceu digito demonstrantibus PLATO in Timæo suo pag. 548. docet: *humores* scilicet corrupti, *feruntur passim per venas, nullo prorsus naturalis circuitus ordine observato*; quem illius locum, miror Authores de circulatione sanguinis, dudum non respexisse, mihi loco epilogi aut coronidis, in hac Digressione mea de malignis & petechialibus febribus, egregiè commodaturum, ut probetur maculas in malignis febribus, & quas, cum iis comparo, insignes extremorum artuum qualitates cutis mutatas, è corruptissimo sanguine, diacrisi morticina, ex ipsius PLATONIS verbis demonstranda, interveniente provenire.

§. 18. Sed quid porrò accidit nobis, ubi, ut GALENUS l. c. IV. Aphor. 48. loquitur: *Corpus intus urit, cute perfrigerata*, seu ut paucis me absolvam: jam valdè maligna, & lipyria febri laboramus; ἀπὸ τοῦ λείπειν τὸ πῦρ ἐν τοῖς ἄκροις sic dicta, quod febris in manibus ac pedibus, interprete HOFMANNO, non appareat, seu quod ignis summitates membrorum deficiat: quod si eveniat nobis, citra febrim brumæ tempore, Germanicè id exprimimus, jocosis his verbis: Einem sey das Feur in den Stieffeln außgegangen; ast in febribus modo dictis, extremorum frigus indicium est, ignem istum animalem, calorem innatum aliàs

dictum, Cor, ceu proprium ſuum habitaculum, aut palatium corporis, eſſe deſerturum, & quaſi receptui canere, aut vaſa conclamare velle, ut:

Volucres rapiatur in auras;

Capitis inſuper, ac Cervicis ſudatiunculis ſemper pravis infeſtamur. Nam DURETUS in Hippocr. Coac. lib.3.tract.IV.cap.2. text.1. p. 504. ratione & experientia congrueutibus nos docuit, quòd *Sudor omnis, qui effluit Symptomaticῶs, non ſit moventis Naturæ, nec excernentis ad criſin, vel ad ægri levationem: ſed exprimentis morbi, aut ſolidarum partium exolutarum. Sic enim Præceptor ait de omni ſudore; qui Symptomaticῶs promovetur, vel excidit:* Καταγνοεῖν δὲ χρὴ τὸ σύμβολον τῶν ἱδρώτων. γίνονται γὰρ οἱ μὲν δι' ἔκλυσιν σωμάτων, οἱ δὲ διά συντονίην φλεγμονῆς. i. e. *in univerſum autem ſudorum ſic ratio tenenda eſt: exeunt enim alii quidam virtute corporum exoluta: alii vero ardoris vi.* pag. 507.l.c. verò hæc addit: *Ne longum faciam; ubi eſt ephidrωſis, ibi & morbus. Galenus author eſt* IV. Aphor.38. *ideo fieri, quod vel oppreſſæ ſint partes humore morbifico, vel exolutæ ſua vi retentrice: proptereaque nullam ephidrωſin poſſe videri criticam; ſed toto genere Symptomaticam.*

§. 19. Sed liceat mihi hîc loci quoque ſymbolam conferre; & duo ſunt ſingularia; ſed à puris putis Practicis, & Receptariis [Criticorum filii ne indignentur moneo] negligi ſolita, ſymptomata, quæ in his ſimilibusque morbis malignis quandoque accidunt, quorum obſervationem, ſi Mihi per tot annos ut paulo ante §. nempe XI. retuli, praxin medicam DEI gratiâ exercenti, non dico, arrogem, ſed ſolùm ego enucleatius de iis diſſeram [muſſitet, & muginetur de iis quid volet invidus] id minimè cum ullius dedecore conjunctum erit. Quippe qui ſubdubito, an in ullis, praxin medicam docentium, commentariis, accuratè [nolim id dictum eſſe inclementius] de iis actum ſit.

§. 20. Prius eſt & vocatur in Megapoli, ſeu Patria mea: De Gicht/oder dei Jicht/hic in altera mea ſemper quoque Mihi dulciſſima Patria DANIA appoſitè appellatur: Legemuuß/ quaſi ludentem murem, vel etiam Ledmuuß/ q. murem artubus proprium dixeris; Mihi ſi liceret ὀνοματοποιεῖν utique meo arbitratu appellari poſſet ἴπνος δέρματος, ſeu palpans cutis ad imitationem τοῦ ἴπνου Hippocratici, de quo vocabulo GORRÆI *Definitiones*, & FOESII *Oeconomia* conſulenda ſunt. *Præceptor noſter Celebratiſſimus* D. SENNERTUS *de Arthritide* duorum affectuum facit mentionem, qui magnam affinitatem cum modo dicto habere videntur, dubius an affectus illi die Fahren/oder die lauffende Fahren Weſtphalis, & WIERO ſic appellati, referri ad arthriditem vel poſſint, vel debeant, & optimâ cum ratione aſſerit haud commodè id fieri poſſe, ſed longè propenſior in hanc ſententiam eſt, ſciſcat, hos ſimilesque affectus ad febres acutas eſſe referendos ceu quos eæ etiam inſequi aſſolent, cui meritiſſimo ſubſcribo; pariter enim auſcultans defendenti Nakir Arabum aut Albucaſis, non ar-

non arthriditis esse speciem, sed propemodum suo calculo ad illorum accedenti, qui *motum hunc flatuum, & spiritum in ipsis venis factum putant.* Vidit verò Albucasis *inflationem parvam factam in vena brachii, & post horam unam vidit illam inflationem procedere cum focili, sicut serpit vermis ascendendo ad humerum celerius, quàm credi potest, & moveri, sicut argentum vivum, cùm currit de loco ad locum.* Notandum autem ceu maximè ad rem faciens *accidisse id mulieri*, Eodem Authore, *Sole, & laboribus exhaustæ, quales sunt, quæ ex villis, sicci corporis, detectarum venarum:* quippe omnia hæc, meum vel dogma, vel paradoxum confirmant. Vide SENNERT. *Quæst. VI. de Arthritide p.m.* 81.82.83. Quem ergo Albucasis motum similem dicit argento vivo currenti, Ego ludenti muri; & quem ille Nakir appellat, eum Mihi, pace aliorum, liceat ἵππον cutis appellare, usque dum congruentius vocabulum reperitur, non ignaro tàm die lauffende Fahren Westphalorum, quàm Nakir esse dolorificos affectus, ἵππον Cutis non item: Quos proin affectus à laudatis authoribus antea dascriptos ideò solùm hic loci introducere debui, ut ex similitudine illorum, certo respectu habito, ἵππος τοῦ δέρματος nobis innotesceret. Est verò ἵππος hic cutis, de quo ego loquor, posthabitis omnibus aliis authoribus, motus illius depravatus, aut particularium sub eâ [nemo Anatomicorum mihi hic obtendat, vel pinguedinem, vel panniculum carnosum, sive in homine, sive in brutis] delitescentium quorundam musculorum v.g. pollicem adducentis inter pollicem, & indicem siti; orbicularis oris, vel denique palpebram attollentis, palpitatio, aut leni convulsivo motui affine symptoma. De vera autem convulsione dictarum partium teste GALENO, HIPPOCRATES noster *IV. aphorism.* 49. loquitur, & pronuntiat, cæteris paribus, mortem proximam esse; quàm pulpitatio ista, de qua loquor, non infert ilico. Hinc quoque, cùm GORRÆUS notet, ἵππον Hippocratis [rarissimus est affectus, & semel omnem vitam solùm in Nobilissima quadam Megapolitana, non quotidiana venustate Virgine observavi] GALENUM comparare stridori dentium naturali, & congenito, patereque ex eo non esse morbum, præsertim cùm nemo Medicorum ejus meminerit; proin cùm nullius quoque momenti sit hoc symptoma, nec nos infestet aut potius nobis non incommodet, rectè cùm valemus, sed ob quod solum diversè, aut variè cutem, citra molestiam aut veram convulsionem, imò vel citra eam, quæ flatulenta dicitur [der Krampff Germanicè vocata] blandè leniterque vellicari persentiscamus, ceu motacilla avis caudam motitare, aut mus sub panno ad parietes tricliniorum expanso seu ludere, seu errare liberè hinc inde observantur, haud commodius, modo dicto nomine, ipsi imponi posse, mihi persuadeo. Quod si verò HARVEI *memoria æterna dignissimi, celeberrimi Anatomici Britanni* vestigia prememus illiusque circulationis modum agnoscemus, ac affirmabimus: *sanguinem per pulmones, & Cor pulsu ventriculorum, & in universum corpus impelli, & immitti, & ibi in venas, & porositates carnis obrepere, & per ipsas venas undique de circumfe-*

rentia ad centrum ab exiguis venis in majores remeare, & illinc in venam cavam, &c. Vide *illius Exercit. Anatom. de motu Cordis, &c. cap. XIV. p. 58.* utique absurdum non erit, si defendamus τὸν ἴππον cutis, ideò accidere nobis integra adhuc valetudine, quod ob aëris subitas mutationes, cœlo jam pluvio, mox sereno, aut sudo existente, calido, frigido, temperato, tempestuoso, &c. venulæ, ac arteriolæ musculorum, imò ipsius cutis [cutis enim æquè, ac aliqua alia corporis pars nutritur, ac per consequens venulis, & arteriolis carere non potest] simulque sanguis in iis contentus, means, remeans instar Euripi, ita offendantur, ut ἀθρόως aut, ut par erat, ac naturaliter convenit illi, ciculari aut distribui nequeat. Non ergò cum iis facio Medicis qui ignari anatomes, perperam sciscunt, hoc in cute phænomenon semper à solis flatibus provenire. At vero si in febribus malignis, ac petechialibus huic similem motum, & præsertim ad ductum venarum insignium v.g. saphænæ, humerariæ, salvatellæ, &c. persentiscamus, mihi videor, qui abhinc aliquot annis, & cum Lutetiæ Parisiorum ob anatomica & chirurgica studia excolenda, commorarer semel; hic Hafniæ ab Anno M. DC. XL. usq; in hunc CIↃ IↃC LXXVII. petechialibus febribus bis fui correptus, quique ipsus in me ipso, meam cutem, durantibus, meque urentibus his febribus, mihi subinde motitatam, aut certè sub ea palpitasse musculos probè recordor, astruere affirmatissimè me posse, id ideo accidere ægris ob lentescentem, [ceu vinum in cadis solet corrumpi incipiens wann er lang wird/ und welchen man alsdann haßpeln kan] spissioremque unà cum sero redditum sanguinem, remoram in venis passum; idque potissimùm, uti ratiocinor, ad situm nodorum & valvularum, in venis quæ repetiuntur, quarum primus inventor AQUAPENDENS est [proh, qualem hic laudo inter Anatomicos Antesignanum! quamvis posteriorum solertia, & dexteritas plures & in aliis venis, quàm ille, invenerit.] Quas proin tale quid in vivo corpore pati auguror, quale vitro augustioris oris, aut in tubum prælongum excurrenti aut ducto, accidere cernimus, ubi id scilicet oleo aliquo, oleo dico non aqua plenum [ut olei exemplo, aqua spissioris, magè manifestetur res, aut sanguinis in corpore vivo p. n. constitutio, magis ad olei lentorem, quàm aquam fluxam accedentis] celerrimè invertis, ex quo, vel omnino nullum, vel perpaucum, idque ægrè, ac guttatim solùm, imò insuper bullis pulsum, oleum stillare cernimus; unde, seu quod dicto modo, valvulæ remorentur sanguinem, jam inducor facilè, ut sciscam, hunc, vel illum musculum non quidem re vera aut integrè convelli, sed solum parte quadam sui p. n. tamen invitum intumescere leniter; quam rationem jam illi sufficio, cui commentum illud de cutaneis illis venis, deque dubio hoc in cute sese manifestante motu, non placet. Verùm ubi Cor ipsum, sanguine ac sero corruptis, similibus symptomatis instantissimè urgetur in ejusmodi febribus malignis, neu per venas, vel intromittere, neu per arterias expellere eadem potens est, nec valvulæ

Cordis

Cordis suum officium facere possunt, qui non ob adurentem p. n. & febrilem calorem,ut ex *Plaut. Mercator. l. II. 91.* phrasin hic loci mutuem, dicam: *Cor miserum guttatim contabescere, quasi in aquam indideris salem*, aut potius si mihi Medico, aut ulli,cujus valetudinem curo cum BUCHANANO *Poetarum inter Christianos incomparabili* loqui liceat,qui pro re nata, dum dictum in modum Cor sub onere laborat,in hæc illius verba ex *Psalmo XXII.* petita,non prorumpemus ?

Rivi cruoris corpus omne perluunt
Exsangue: laxat artuum
Compago nexus: pectus intra liquitur,
Ut Sole cera, Cor metu.
Exaruére testæ ad instar coctilis
Defecta membra viribus:
Rigens adhæsit lingua siccis faucibus.
Jam sto sepulcri ad aggrem.

Quasi dixerit: Cruor, [i. e. me interprete, ἰχωροειδὲς αἷμα, quod FOESIUS putat *non malè saniosum sanguinem dici posse ob pravam, quam habet & mordacem qualitatem.* Sic GALENUS noster existimat: serosum sanguinem non simpliciter tenuem, & aquosum ab HIPPOCRATE appellari, sed eum qui venenosa, & maligna facultate est præditus] perluit corpus reverà alias ex sangue, seu destitutum sanguine nutriendis partibus apto; atque hinc liquefieri necessariò ipsum Cor, ceu Sole cera. Quum illius corporis nutriendi ineptitudinem, *Aristotel. quoque lib. 3. Histor. Animal. Cap. 19. p. 499. lit. B.* accuratè satis, describere videtur, cujus hæc sunt *Theodoro Gaza* interprete: *Si Sanguis immodicè humescit, morbus infestat: sic enim in speciem saniei diluitur, & adeo serescit, ut jam nonnulli sudore cruento, exundarint. Idem etiam interdum in causa est, ut qui effluxerit, aut omninò concrescere nequeat, aut incomptè particulatimque spissetur.* Hactenus Aristot. Patitur autem ideo hæc omnia Cor [ut ex anatomica Schola, praxin medicam illustrantia ea huc transferam] in ejusmodi pessimorum morum morbis, febribusque malignis, quod serum præter lympham, qua diluitur, partes, crassiores habeat admistas, nec dubium sit, quin plus in recessu habeat serum, quàm in fronte promittat. Quod, ni fallor, ex erumpentibus, & incute efflorescentibus, seu maculis seu petechiis, ex sale volatili variè in sero, & sanguine, in vivo tamen adhuc corpore, à p.n. & igneo febrili calore veluti tosto & adusto prognatis, sub finem hujus Digressionis præclarè elucescet, ubi modum tradam, per quem erumpunt, à nemine antidhac, ni fallor, traditum. Macte v. æternâ memoriâ THOMA BARTHOLINE *Celeberrime, amicorum integerrime, affinis & compater honoratissime perge mecum illustrare, commune nostrum de Sero dogma: nempe in illo secretiora, adhuc veluti sepulta delitescere, quam quis primo intuitu crediderit. Et revera, ut fama nostra ad multas Jtaliæ, Galliæ, aliasq;*

Europæ provincias pervenit, postquam ego Antecessor, Tu Successor hic in Daniam Anatomica studia introduximus, jactamusne ne Nos? [*Quis nostrum succumbet deinceps invidiæ, ignavis, non infensæ*] *ita porro, bonæ mentis Candidatis compluribus, facem ad multa alia præluxerimus, quod unicè dedita opera & pervicaci studio in Digreßione hac mea, solius veritatis amore ductus, studere volui.* Benevolum interim lectorem, ob peculiare quod de ustulato serò, noster BARTHOLINUS recenset experimentum, ad *Cent. III. Histor. Anatom. rar. 49. p. 97.* itemque HARVEI *Exercitatio de generatione animalium Cap. 51. pag.* 160, 161. 162. hinc ablegabo: Ipsus in meo stadio pergens.

§. 21. Sed mihi hic loci videor, videre ingentem catervam Medicinæ Candidatorum, audireque eos mecum expostulantes, de proximo allato simili, à tubulato vitro olei pleno petito; enixè contra rogantes, cum longius id petitum, & quidem ab inanimatis sit, quàm ut commodè sanguinis circulationi convenire queat, commodius aliquod adducam, per quod in vivo aliquo animali demonstrari poßit, tremulum hunc cutis, aut convulsivo motui, similem motum in febri maligna laborantium artubus conspicuum, provenire à prohibita, sed ex parte solum circulatione sanguinis; quibus perlibenter gratificabor, modò molestum illis non fuerit, prodeambulare mecum, in hortum aliquem suburbanum, & docebuntur id, vivi Bufonis, seu Rubetæ hortensis vivo exemplo, pice liquida, seu axungia illa vulgari nostrati, seu Norwagica perlitæ; insuper illam ipsam axungiam, præsentissimum ei esse venenum, hic in Europa, ut succus *Nhambi*, Bufoni Brasiliano, duplo Europæo majori *Cururu* dicto, est, Quippe Solus Nhambi succus expressus, *& capiti vel dorso Bufonis* (*præsertim in terram fricato*) *instillatus, illum dicto citius interimit*; teste *Celeberrimo* GUILIELMO PISONE *lib. 3. de medic. Brasiliensi, cap. de Cururu pag.* 47. vid. quoque eundem in hanc sententiã, *lib. 4. de med. simpl. Cap. 48. p. 89.* ubi depingit & describit, plantã Nhambi. Ego interim in gratiam Medicinæ Studiosorum noto; has observationes, de enecandis patriis ac transmarinis Bufonibus Brasilianis, instar, Hermarum, viam nobis monstraturas, eamque Regiam; aut accessum daturas, ad illorum morborum Nauram penetrandam, qui antidhac pro Formæ morbis, aut occultis sunt habiti. Sed inquies; prius demonstra; Axungiam Norwagicam Rubetæ esse venenum. Faxo, si illud venenum est, quod citò jugulat; Nam si illius deorsum, è regione Cordis, axungia illa Norwagica, minimè aqua, aut ullo alio unguine diluta aut remista, probè inunxeris, è vestigio palpitantem illius pelliculam [ea vero analoga est cuti] in dorso, mox ipsam Rubetam ilia ducentem, mox eam convelli, mox torpescere, mox conglobari aut conglomerari, deniq; supinam emori quadrupedem, paßis pedibus, cernes. Caveat autem sibi quisquis moneo, periclitaturo hæc in Rubeta, & ne justò propius aut diutius ei moribundæ adsistat spectator, sedulo eundem dehortor; cum *Petrus Johannes Faber, lib. V. panchymag. suæ sect. 2. Cap. VIII. p.* 630. postquam eruditè refutavit,

futavit, illorum ſententiam, qui putant Bufonem tantâ attractrice facultate pollere, ut *ad medelam ſui ipſius attrahere poſſit muſtelam, animal admodum agile & expedito corpore*, ſciſcat: *ex veneno eſſe Bufonis, quod foras emittit & jaculatur per auras, bufone morbo affecto & vulnerato. quod quidem venenum, peculiari ſua virtute & facultate, muſtelam inebriat, & ita faſcinat, ut fugere neſciat. &c.* Sanè ipſus aliquandiu hujus actus ſpectator, ex Perilluſtris ac Generoſiſſimi Herois ac DNI. DNI. JOACHIMI GERSDORPHII Regni hujus Senatoris, ac Magni Magiſtri, Mœcenatis mei ſummi, viridario amœniſſimo, & omnigenis exoticis herbis iuſtructiſſimo, unicæ Rubetæ, mediocris ſolum magnitudinis maligniſſimo miaſmate infectus, vertiginoſus diſceſſi, dum dictum in modum, hortulanus Bufonem enecaret. Sed DEI gratia, poſtridie malignitas aut miaſma illud, quocunque modo per nares, aut os attractum in labium meum, id exulcerans erupit; æquè ac mihi pronuper, cis pauculos dies ſeu proximo Auguſto, contigit, dum in araneum, ex tela ſua penſilem, ſputum meum, lecto ſurgens, aliquoties & tamdiu exſpuerem, uſque dum filo ſe librantem, de feneſtra, cui telam ſuam, ceu rete obtenderat, in plateam de improviſo demitteret; me periculum in illo facturo, num is jejuni hominis ſputo [æquè ac de Scorpio à GALENO, aliisque authoribus traditur] enecari poſſet, minimè alias virulento, ſed ſolum ſalſo. Sputum enim non eſt ἄποιον, & quia ſalſum, hinc quoque fermentationem in corpore, noſtro [vid. §. 6.] promovet, & abſtergendo, & ſiccando, non ſolum verrucas tabefacit, & exſtirpat, ſed quoque cutem maculis fœdatam emaculat, [*Vid. infra*, §. 57.] Neque ſputum eſt ἄοσμον, cum garum redoleat, de quo ex inſtituto egi, *in hiſtoria Garoſmi ſeu vulvariæ Claſſ. 3. Quadrip. mei ſecund. editionis.* Adverti verò ſimul ac hæc peracta eſſent, & exſpuiſſem dicto modo in araneum, intumeſcere mihi labium: idem vero præterea, ſpatio perpaucularum horarum, mihi exulcerabatur, moleſtiſſimo præeunte & illi ſimili dolore, quem ephemerâ extenſa dicta laborantes percipimus, ubi per exulcerationem naſi, & labiorum [vid. *ſuprà* §. 10] judicamur aut ab ea vindicamur. Permaneo ergo non ſolùm in ea ſententia, quàm §. 11. protuli, ſed quoque in ea omnino non ſine ratione confirmor; nempe: *contagii, aut miaſmatis τὸ ὂν potiſſimum in ſale volatili ſubſiſtere*; Bufo, & araneus certa in diſtantia, & ſphæra activitatis ſuæ, ut ita dicam, ſubſiſtentes, citra ullum gratum, aut ingratum odorem [qui effectus ſulphuris eſt,] mihi cum nocuerint, ſeu quorum prior ab hortulano, ſed non tam cernuo, ac me ſpectatore, atque adeo ab eo remotiore; [ægrè enim oculi mei è longinquo poſita diſcernere valent] poſterior verò à me ipſo, & quidem me jejuno cum eſſet laceſſitus. Ineſſe autem vel formicis ſua bilis; Uxor etiam Lyſimachi ap. PLAUTUM *Mercat. V. III. 3. p. m.* 944. eleganti mecaſtor phraſi, irata, tota in fermento jacere, dicitur; ebulliente nimirum in venis ſanguine, unde febri, apoplexiæ & ſexcentis aliis malis ira occaſionem dare poteſt. Verùm cùm ſuper

hunc

hunc locum eruditissimè TAUBMANNUS sit commentatus, & egregiè idem confirmet ea, quæ, cùm superius de natura, ac genio fermenti tradidi, tum idem intendit, quod ego hic loci; è re mea non solum erit, sed quoque Medicinæ Candidatorum, textum integrum, exscribere; verba commentarii ita habent: In fermento jacere, ἐν τῇ ζύμῃ κεῖσθαι *dicebantur, qui animo essent ægro, quique iracundia turgerent. Nota tralatio. Fermentum enim, & acorem habet, & tumorem &c. V. N. Cas. II. V. Etiam* Casaubonus *ad Pers. Sat. 1. notat.:* fermentũ *hic pro ira poni, ut:* esse in fermento, *sit*, θυμοῦσθαι, φλεγμαίνειν ὑπὸ χολῆς. *Juvenalis*: istud Fermentum tibi habe, *i. e. indignandi caussas. Etiam Hebræos* fermentare, *pro ira turgere, & βιάζεσθαι accipere. Quin & de aliis affectibus dici, ut Prudentius: Cùm fermentati turgescant mores.* Hactenus ille. Quod si ergo & formicarum agmina irritaveris, cubilia illarum scipione, vel Junco Indico fodiens, ac destruens, pro! quàm non solùm indignabundas, & totas in fermento hinc inde oberrare, sed quoque tunc temporis citra ullam contradictionem adstantium, spirare acidum odorem observabis. Cur autem hoc accidit? Sal, & Sulphur utraque volatilia, cum formicæ veluti roscidæ sudore, & quidem præ indignatione eo stillare, aut diffluere videantur, in causa sunt: quibus certò certius illa animalcula ob medicamenta, quæ ex iis parantur abundare oportet. Certè salis volatilis effectum in sudore ac madore illorum adhuc viventium, quilibet persentiscet, nisi tectus sit corio Elephanti, cujus cutem nudam incurserint. Quàm enim illa nobis, quò processit minutula formica, prurit! Prurit autem ob sal volatile, & minimè malignum. Quippe quod fixius in illa est, quàm in bufone, vel araneo lacessitis; quorum ad temperiem si accederet, aut communem cum iis haberet, utique non minus contagio Me, aliosque formicarum agmina inficerent, quam bufo, & araneus singuli à quopiam lacessiti. Et hunc usque Medico-Philosopho [qui aliàs HIPPOCRATI ἰσόθεος, seu ut FOESIUS hoc vocabulum *in decenti ornatu Hippoc. p. m. 25. Sect. 1.* vertit: DEO æqualis habetur] prodire, non ultra licet. Quippe hic PLATO, ARISTOTELES & qui alii sunt vel σοφῶν σοφώτατοι quiescere de re medica, aut rebus ad eam pertinentibus loquuturi tenentur; cum corporis humani temperiem στοχασμῷ medico [animo concipientes Polycleti statuam, aut normam, de qua consulendus GALENUS *de temper. I. 18. p. m. 54. B. itemque V. de dogmat. Hipp. & Platon. 6. p. 980. D.*] & mentis quadam ratiocinationne quidem arguta indagare, haud verò specificam qualitatem, idiosyncrasiam hominis, animaliumque cæterorum assequi queamus: ne de formis ipsis rerum, cum quibus nihil commercii est Medicis, seu quæ sibi non sunt contrariæ, ut qualitates primæ ac secundæ sunt, nec eæ inter se, ut hæ pugnent, ceu

——— *frigida calidis humentia siccis*

ego hic loci, vel verbulum addam; At verò quantam difficultatem temperies, & intemperies, nobis Medicis pariant, aut quantum negotii nobis cotidiè facessant,

ceſſant, tam optima valetudine, quàm eâ adverſa, cùm in morborum cauſis dignoſcendis, tùm in iis propulſandis palàm quidem eſt, & in ore omni populo: Maximè verò id teſtantur modò laudati ſummi Philoſophi, quorum authoritatibus Medicinæ Candidati, non mediocriter recreabuntur, animum aliàs deſponſuri, ob indagatu difficillimas morborum quorundam cauſas: Quos tamen nolim, ſi eædem uſque adeò manifeſtæ non ſint, nec in omnium oculos ita incurrant, quàm vbi v. g. Dionyſio Syracuſanorum Tyranno, CICERONE teſte *Tuſc. Quæſt. V. p. m.* 258. C. nemini credenti, animi oculis cernant, ab adultis ſuis filiabus candentibus juglandium putaminibus barbam ſibi, & capillum aduri, ne tonſori collum committat, cultros metuens illius tonſorios; Aut etiam ſimilibus oculis intueantur hodie, ut olim aquâ ferventi à Rubrio Philodamus perfunditur, ut illa ex CICERONE *in Verr. 2dâ* hîc accerſam, &c. &c. ilicò animo concipere, & occultas cauſas, & morbos occultos, quorum cauſa ſtudiosè hic latius evagor, ut data oportunitate de iis, ſine quibus haud commodè contagioſorum morborum natura explanari poteſt, animi mei ſenſa apertè proferam, ne Medicinæ Candidati ſequi FERNELII veſtigia ac morbos formæ, qui non dantur, agnoſcere cogantur: Quippe cùm anteà eos docuerim §. XI. celeberrimo SCHERBIO auctore: *omnia hîc eſſe elementaria, & delendum ex animo omnem cœli morbum*, & per conſequens morbos Formæ FERNELII, de quibus dexterrimè quoque ſi quisquam alius, hac ætate incomparabilis

Ἰατρὸς τε σοφὸς πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

HOFMANNUS nempe *cap. VII. animad. in Montan.* §. 24. *pag.* 85. his verbis ita judicat; quæ & locum inferius habebunt, ubi de medela contagioſorum, & curatu difficilium morborum nonnulla afferam. *In primis* [l. c. inquit HOFMANNUS] *hoc mihi moleſtum eſt, quòd credi volunt, Morbos formæ Fernelij eſſe eoſdem cum morbis totius ſubſtantiæ Galeni. Nihil minus. Tota enim ſubſtantia eſt elementare quid: at Forma illa eſt cæleſtis, aſtralis, uno verbo,* Cauſa continens Stoicorum. *Deinde do hanc inſtantiam: Cùm cibi in ventriculo calidiore corrumpuntur, quàm mira eſt varietas ſymptomatum? Alij videntur ſibi percipere odorem ovorum frixorum, quamvis non comederint ova. Alij putres piſces* [cujus recens exemplum habemus in utrisque mulierculis, quarum ſuprà §. 2. facta eſt mentio, & quæ venenatam cramben ſibi in prandium coxerant,] *alij indicabile quid. Hæc tamen omnia ab uno calore, ratione individuorum* [quod obſervent Medicinæ Candidati pervelim] *variante, inducta ſunt. Vide* I. Alexandrinum *l. de Theriaca. Propterea perſto in eo, in quo Montanus quoque: Tota ſubſtantia parit morbos notos: tamen curatio illorum non perinde ſuccedit per indicationes rationales, ſed opus eſt experientia. Hinc adeò fit, ut aliquando fruſtra ſint omnia remedia. Cur?* [ſane emphatica ſunt verba] *Neſcimus modum corruptionis humorum.* Hactenus ille. Quaſi dixerit difficillimè id eſſe demonſtratu. Attamen me interim difficultas rei non perterrefaciet, etiamſi prævideam, me non minus ut corruptionem ſanguinis in malignis, ac petechialibus febribus, ſimilibusque morbis demonſtrem & veluti

F ex pu-

ex puteo Democriti, in quo Veritas ipsa demersa dicitur, exantlem, sub ingenti hoc onere laboraturum, quam Herculem aliquem in Augiæ stabulo. Sed neque alio id animo feci, & undiquaque in rem eam subsidia, & præsertim ex Physicis hîc loci convexi, quàm CICERO *Acad. Quæst lib. I. p. mihi* 13. *&* 14. factum ab Arcesila refert, *qui nempe sibi omne certamen cum Zenone instituit, non pertinacia, aut studio vincendi, sed earum rerum obscuritate, quæ ad confessionem ignorationis adduxerant Socratem, & veluti amantes Socratem, Democritum, Anaxagoram, Empedoclem, omnes penè veteres: qui nihil cognosci, nihil percipi, nihil sciri posse dixerunt: angustos sensus, imbecillos animos, brevia curricula vitæ, & ut Democritus, in profundo Veritatem esse demersam: opinionibus, & institutis omnia teneri: nihil veritati relinqui: deinceps omnia tenebris circumfusa esse dixerunt.* At verò cùm idem Arcesilas negarit, esse quidquam, quod sciri posset, ne illud quidem ipsum, quod Socrates sibi reliquisset; diversus ab eo, abeo, ut quousque in re medica ulla sit scientia [nemo autem mihi hîc aurem vellat, ceu capital admiserim, quòd nomine scientiæ artem sim complexus. Non enim est hîc locus altercandi, aut occasio mecum velle λογομαχεῖν] in indagandis morborum causis, morbisque ipsis, φιλιάτροις demonstrem.

§. 22. Cùm ergo priora omnia recensita ipsi rationi, & paulò antè laudatorum summorum philosophorum, PLATONIS nimirum, ARISTOTELIS, GALENI deniq; dogmatis congruant, proin in veritatis testimonium, & causæ, de quâ agitur subsidium, eos jam introducere juvat. Primo ergo loco PLATO prodeat, qui *in Phædro suo p. mihi* 353. *F.* Socrate, & Phædro acriter super hac re disceptantibus, ita philosophatur: Socrat. *Dic age. Si quis amico tuo Eryximacho, vel patri ejus Acumeno dicat in hunc modum? Ego quidem illa scio corpori admovere, quibus & calescat pro arbitrio meo, & frigeat, vomitum quoque rursusque dejectionem, & expurgationes alias provocare, cæteraq; hujusmodi multa teneo, quibus cognitis, & medicum me esse profiteor, & alium quemlibet medicum me facere posse: quid illos responsuros existimas?* Phædr. *Quidnam aliud, quàm percontaturos, numquid etiam sciat, quibus, quando, quousq; singula horum sint adhibenda?* Socrat. *Ergo si dicat nullo modo se id intelligere, sed oportere eum, qui ab ipso didicerit, talia quædam facere posse, quid respondebunt?* Phædr. *Certè ejusmodi hominem insanire, qui cum ex aliquo Medicorum libro audiverit quandoq; aliquid, & in medelas nonnullas inciderit, neque quicquam artis intelligat, Medicum se evasisse putat, &c.* Hic ergo ultra temperamentum non procedit, impensè id urgens, sciamus, quibus medicamentis, quando, & quousque sit utendum, aut alterandum, quod in arte nostra summus veluti apex, adeò ut SCHERBIUS meritissimò, teste HOFMANNO, Medendi methodum, *secretum secretorum secretissimum* appellarit.

§. 23. ARISTOTELES verò accuratius hæc excutiens, non contentus in genere ea proferri, sed in specie certorum medicamentorum, & in medicina, adversus morbos subsidiorum mentionem fecit, dum *V. Ethicor. seu de Morib. c.* 13. *p. m.* 40.

p.m.40.G. ita differit: *Justa, & injusta nosse, nullius Sapientiæ esse putant: quia ea, de quibus loquuntur leges, intelligere difficile non est. Verùm hæc non sunt justa, nisi ex eventu: sed cùm certo quodam modo, & aguntur, & distribuuntur, tum justa sunt. Hoc autem majus opus est quàm res salubres cognoscere. Nam illa quoq; mel, vinum, veratrum, ustionem, & sectionem nosse facile est: sed quomodo & cui, & quando ad sanitatem adhibenda sint, cognoscere, ita magnum, & operosum est, ut Medicum esse.*

§. 24. Ast GALENUS noster rotundo ore loquens, utramque quòd dicitur paginam absolvere videtur, dum *m. m. III. 7. p. m. 77. C.* dicit: *In ejusmodi sermonis nostro decursu perspicuum planè fit, tum ægri naturam esse considerandam, tum cujusque hominis propriam esse curationem, tum supra hæc illud tertium: nempe quoniam cujusque naturæ proprietas ineffabilis est, nec exactissima scientia comprehensibilis, hunc esse optimum cujusq; particularis ægritudinis Medicum, qui jam methodum quandam comparavit, ex quâ, & dignoscere naturas possit, & conjectura consequi quæ sint cujusque propria remedia.* Hinc paucis intermissis sectam methodicam spectantibus, itá pergit: *Siquidem, inquiens, curatur non homo communis & generalis, sed nostrum quisque alius videlicet aliud temperamentum obtinens. Hi verò* [intellige methodicæ sectæ addictos] *unam esse omnium hominum curationem existimant. Ego contra, si cujusque privatim naturam explorare ad unguem scirem, utique qualem fuisse Æsculapium mente concipio, talem me esse putarem. Sed quoniam id fieri non potest, certè ut quoad homini licet, quàm proximè accedam, tum ipse me exercere decrevi, tum alios, ut idem faciant adhortor.* Hactenus GALENUS. Idem & Ego, nec aliud studere, vel hic loci, vel in universa hac Digressione mea volui, quàm quod GALENUS hic nobis præcipit faciendum. Verum *cum §. 21. retulerim*: Medicis nihil rei esse cum Formis, ac GALENUS, posthabitâ formâ Aristotelica, omnia illa ceu Medico-Philosophus videatur accepta referre temperiei, & idiosyncrasiæ, quæ aliàs à formis manare creduntur; proin in hujus rei fidem, duos singulares locos, & quibus vix similes, perlegendo GALENI opera, in adversariis meis notavi, illi sufficiam, cui animus est (si authoritatibus, hæ controversiæ, de temperie & formis sopiri vel debeant vel possint) tueri GALENI partes: quorum prior depromptus est, ex illius *prim. lib. de V. P. X. pag. mihi 425. C.* verba autem ita habent. *Ut autem sermo noster methodo procedat, quæ corporibus insunt, omnia distinguamus. Insunt autem primùm, & maximè temperamenta. Quippe quæ propriam particularum substantiam complent.* (Hæc sanè emphatica in medica schola sunt verba) *Corpus enim tale Natura est, propterea quod caliditate, frigiditate, humiditate, siccitate sic commistum est. Nam carni esse carnem, & nervo nervum, & aliorum unicuique, id esse quod est, ob qualitatum quatuor prædictarum, certam quandam temperaturam, mistionemque contigit* (& hæc verba merentur ut asterisco notentur, vel unguis ad ea imprimatur.) *Hæc igitur eis secundum substantiæ rationem insunt. Consequuntur autem necessariò, odores, sapores, colores, durities, mollities. Alia vero necessario accidunt, positio, magnitudo, connexio, conformatio. Quoties igitur omnium quæ organis insunt, utilitatem diligenter es*

examinaturus, in primis causam actionis disquire: quam quidem causam, ut plurimum esse secundum propriam partis substantiam invenies. Est etiam, quando propter aliquid consequentium fit actio; quemadmodum in oculis propter colorem. Deinde & aliarum ejus particularum utilitatem, singulatim disquiras: an scilicet ea, propter actionem sit utilis; an propter eorum aliquid, quæ temperamenta consequuntur, ut os propter duritiem. Post hæc autem unumquodque illorum, quæ & totis ipsis organis, & eorum particulis accidunt, consideres, quæ (ut paulò ante dictum est) sunt positio, magnitudo, connexio, conformatio. Quisquis verò se rectè utilitatem partium considerasse putat, prius, quàm hæc omnia rectè ne, an pravè habeant, expenderit hallucinatur &c.&c. posterior verò locus GALENI hic est, qui in libro illius, cui titulus: quod *animi mores sequantur temperiem corporis*, exstat. cap. 3. pag. 1219. C.D. ubi hæc verba leguntur: *verum mentionem repetamus, de communi corporum omnium constitutione. Compositam enim ex duobus principiis esse ostendimus: materia quidem, quæ expers qualitatis, cogitatione deprehenditur: quatuor autem in se qualitatum, caliditatis, frigiditatis, humiditatis, siccitatis, temperiem habet. Ex iis conflata sunt, & æs, & ferrum, & aurum, & caro, & nervus, & cartilago & pinguedo: demum quæcunque à Platone primogenita, ab Aristotele similaria nominantur. Quapropter, si vel is ipse Aristoteles, formam corporis esse dicit: sciscitandum ex eò est, aut certè ejus sectatoribus; utrum formæ* εἶδος *ve nomine, formam, hoc est morphen, ut in corporibus instrumentariis, ab eo dictam putabimus; an principum alterum naturalium corporum, à quo conditum corpus est, sensus judicio similare, ac simplex, instrumentalem compositionem, non habens. Alterum enim corporum naturalium principium necessariò respondebunt, siquidem horum primum sunt actiones* &c.&c. Atque jam Philaletes beneficio horum locorum, rectè accipere illa potest, quando *eruditissimus Vir, decus ac ornamentum Leydensis Academiæ ingens* JOHANNES WALÆUS *lib.1.instit.med.cap.9.* docet: Facultates animæ esse sensus, motum & intellectum. Animam, non esse formam informantem, nec assistentem. Formam latiorem esse animâ rationali; *nec dari aliam animam, quam rationalem*; vires ipsius esse facultates &c.&c. Sed meo arbitratu præstaret philosophis-Theologis, quàm philosophis-Medicis, hæc & similia excutienda, relinquere, nec litem hanc nostram facere; Ipsi ergo videant, ut sagaciter, veritatem & indagent, & ex sententia assequantur. Ultra verò temperiem, Medico non est ascendendum. Vide sis in hanc sententiam SALMASIUM *in Epictetum p.64.* itemque HOFMANNUM *Cap.1.Adrast.Gal.p.XI.* ubi docet: *Animam, qua Medico, incognitam esse.*

§. 25. Quæ cum ita se habeant, ac exemplis, & authoritatibus comprobata sit mea assertio, nempe accuratè discernere nos ἰδιοσυγκρασίαν cùm individuorum, tum specierum haud posse, ac proinde exquisita, ac accurata Bufonis, aut Aranei temperiei cognitio mentis nostræ acumen effugiat, aut captum nostrum superet; quis deinceps in morbis, quorum occasionem dant virulenta animalia, contagio, aut si mavis, qui captas verba, veneno eminus nos suo inficentia, vel cominus morsu, aut ictu virus in nos evibrantia, admittet quid delitescere

etiam-

[etiamsi venenum vel sit, vel sæpe etiam solum ita audiat, ut picis exemplo monstratum est] quod elementare non sit, aut à temperie elementorum non sit profectum, quamvis primo intuitu miretur quis ac obstupescat; aliter bufonem, aliter araneum, aliter scorpionem, aliter tarantulam, aliter torpedinem, aliter viperam, aliter draconem marinum, aliter apes, aliter vespas corpus nostrum corrumpere; nisi contrariis medicamentis, & tota substantia, i. e. primis, secundis, &c. &c. qualitatibus agentibus, venenum illorum contagio, morsu, vel ictu nobiscum communicatum, quodque fermenti loco est, & proinde necessario, ut superius jam dudum demonstratum est §. XI. partem Salis volatilis, Salis, inquam, volatilis sed bufonis, sed aranei, sed scorpionis, sed tarantulæ, sed torpedinis, sed viperæ, sed draconis marini, sed apum, sed vesparum participat, illico & antequam vires suas exserat, vel figatur, ac ita ζέσις illa, quam venena in corporibus nostris excitant, prohibeatur; vel etiam per sudores, vel alio quovis modo omnino ex corpore nostro expellatur, quæ subindè mihi in intricatissimo hoc de venenis, & morbis malignis sermone necessario repetenda fuerunt.

§. 26. Cæterum, cum ad illustrandam febrium malignarum causam, symptomatumque ipsas comitantium, aut præcedentium, declarationem, multus ultro citroque de bufone habitus, & institutus sit sermo; ac demonstrandum restet, tam παλμὸν aut ἴπτον illius cuticulæ, aut pelliculæ, quàm interitum, aut exanimationem [uti ita loquar] accepta esse ferenda illius temperiei, quæ in eo destruitur [anima enim semper & formæ rerũ, sunt & manent, cum una substantia alteri non sit contraria, impatibiles] ubi probè ἀτράχηλος bufo, seu collo carens, picatus fuerit pice Norwagica ne micam, aut atomum quidem aliquam parvissimam (agnoscis *Lucretij* vocabulum) veneni continente. Hinc meum erit, paucula quædam de Bufonis temperie hic loci adferre. Sciendum autem meo arbitratu, ARISTOTELEM, de rubetæ, aut bufonis temperamento omnium dexterrimè judicasse, dum *de partib. animal. III. c. 12. p. m. 621. G.* de eo, suo more, & quidem hunc in modum philosophatur: Avium jecur maximè simile est jecori viviparorum: puro enim & sanguineo colore exhilaratur, ut illud, cujus rei causa est, quod avium corpora difflari, evaporarique optimè possint, nec multum habeant excrementi vitiosi. Quo etiam fit, ut nonnulla ex viviparis felle careant. Jecur enim ad temperiem, sanitatemque corporis multum confert: Finis namque eorum in sanguine potissimum situs est: Jecur enim omnium viscerum, excepto corde, sanguine refertissimum est. *At verò quadrupedum oviparorum, & piscium jecinora maxima parte pallidiuscula sunt; nonnullorum etiam vitiata omnino, ut corpora quoque eorundem pravum temperamentum sortiuntur velut rubetæ, testudinis, & similium.* Hactenus ARISTOTELES. Quare nec sanguis rubetæ, & sui generis ichorosus aliâ, aut per rerum Naturam, & à condito mundo in hanc

in hanc usque horam, quàm prava temperie, [comparativè verò illa, & non absolutè dicta, aut intellecta volo; quia omne, quod Deus fecerat, valdè bonum, teste *Genes. I. v. 31.*] & uti ratiocinor, multas ob causas, idem naturaliter siccus, & sale multo abundans est. Hinc usu venire arbitror, ut quoque rubetæ sanguis simul ac illius dorsum pice liquida inunxeris, veluti in momento in illius venulis cordeque ipso figatur; vel etiam ejusmodi ζέσιν in illius massa sanguinea cieat, aut causetur, ob quam quasi fatiscit, & tale quid sanguis illius in venis contentus pati cogitur, ob sal volatile, quo pix liquida abundat; quale quid videmus accidere, dum tartarum vitriolatum, aut bezoardicum minerale paramus. Sed in dubiis his Naturæ operibus summoperè in bufone, aut rubeta admirandis; prius per accidens fieri, posterius per se salem efficere defendendum esse arbitror: nempe ζέσει illa prævia, aut fermentato jam à sale picis liquidæ serò, & ichore rubetæ, necessariò consequi, ut sanguis lentescat, unde Syncope oritur, quam mors illa repentina insequitur. Asserendum ergo in sero, aut sanguine rubetæ sui generis, magna copia naturaliter contentum esse Sal, idque fixum, sed reddi volatile, à sale picis volatili: hoc contra ab eo figi, salibus nempe diversissimarum qualitatum, in vivo corpore rubetæ sese penetrantibus, aut potius, ne improvidè penetrationem dimensionum concedam sese tangentibus, aut miscentibus, ubi nempe dorsum illius pice solùm inungitur; ardor verò Solis picem illam liquidam insuper adeò adurit lentescentem, ut pulsus motusque cordis Rubetæ ab eadem omninò inhibeantur, ac cessare cogantur: Maximè verò hæc quæ de utrisq; his salibus allata sunt, cùm effectus ea approbet, ideò defendo; quia Rubeta vel sola ruta interfici posse [sale valdè volatili abundante, ut probavi *in Historia Pimpinellæ Sanguisorbæ Claß. 2da. Quadripartiti mei posterioris editionis*] perhibeatur, ac ALBERTUS tradat: *Bufonem primò aqua perfusum, & postea salsum crepare ac tandem consumi ad ossa*, vid. GESNERI *Histor. de Quadruped. Oviparorum cap. de Ranis p. m. 67. v. 58. 59.* Consectarium autem hujus assertionis erit, ut obiter illud notem, cæteris paribus, non solùm bufonem tam diu vivere, quàm diu vel non insigniter per ζέσιν turbetur illius naturalis circulatio sanguinis, vel eadem omnino non desinat, sanguinis interim temperie corrupta penitus, internecina corruptione; sed quoque nos plena rationis, & consilii animalia; quod mihi per consequens probandum incumbebat, non contentis, simili à vitro tubulato, & oleo repleto, à me petito, & introducto. Atque prius horum potissimum ubi venena acria, & salibus abundantia v. g. Mercurium sublimatum, arsenicum, & similia hausimus; posterius verò nobis accidere auguror, in febribus malignis serò, ac sanguine ita exusto, ut circulari nequeant. [Vid. *suprà* §. 20] Sufficio verò hic loci, dedita opera, ansam rerum Naturalium studiosis, ut ulterius, & studiosius in seri genium, indolemque inquirant: Qui ac Medicinæ operantes, notabunt interim, quòd illud ipsum, quod nunquam

nunquam in numerum venenorum venire poteſt, quandoque naturam induat veneni,& quidem præſentiſſimi, ſolùm externè illitum, circulationem ſanguinis,ut innui,vel perturbando, vel eandem omnimodè cohibendo. Et eadem quoque antidotorum, ſeu venenis contrariorum eſt ratio, ceu in quibus non occulitur occulta,& elementis ſuperior qualitas, cùm illa ſint antidota, quæ circulationi ſanguinis [in qua vita noſtra ſubſiſtit, & incolumitas, cùm vel gangræna, brachium aut pedem ſpatio perpaucarum horarum occupet, ubi chirurgorum imperitia per ligaturas juſtò arctius ea inhibeatur]juſtum, & naturæ convenientem ῥυθμὸν reſtituunt,atq; ita ex ἀῤῥυθμῳ εὔρυθμον iterum efficiunt,quod niſi fit,ſyncope neceſſariò ſequitur. Næ ergo ARETÆUS, ignarus quidem circulationis ſanguinis, eruditiſſimè præ aliquam multis ſuæ, & hujus ætatis Medicis;de cauſis Syncopes hunc in modum *de Cauſ. & ſignis acutorum Morbor. II. cap. 3. p.m.* 11. *C. & D.* diſſerit, inquiens: *Syncopam, cordis ægritudinem eſſe, aut vitalis in eo poteſtatis detrimentum,non credendum eſt: tanta eſt mortis celeritas, & talis morbi ſpecies. Quippe is affectus, vinculorum poteſtatis vitam foventis diſſolutio eſt, hominis conſtitutioni adverſarius. Hanc enim tenaciter corripiens non admittit,ſed diſſolvit ac diſſipat.* Et paucis intermiſſis addit: *Natura enim robuſta,& probè temperata omnia ſuperat,omnibus dominatur,ac per humorem,& ſpiritum, & ſolida, horumq; omnium convenientem ordinem,& modum,hominis vitam adminiſtrat.* Hactenus ARETÆUS: Quo, qui unquam apertius pro me loqui,aut meo loco,ſtudioſius,quàm tracto cauſam defendere poteſt,poſt PLATONEM, cujus ultimo loco in hac digreſſione tempori meminero, habeo neminem.

§. 27. Atque ego jam minimè abiens ad morbos occultos, aut formæ; cauſam & rationem optimam dare poſſum [ut obiter de Mercurii ſublimati, & arſenici antidoto paucula adferam]cur unicum,& ſolum lac tota ſubſtantia ſeu primis,& ſecundis, &c.&c. qualitatibus agens Mercurii ſublimati, ac arſenici præſentiſſimorum venenorum,tota quoque ſubſtantia ſua agentium, ſit ac audiat alexiterium, aut alexipharmacum, aut vera antidotus. Nolim quis his in verbis cavilletur,ob GALENI textum *V. Simpl.* 17.*p.*143. videndum cui lubet Nam revera Lac non ſolùm anodynum optimum, atque temperatum, à ſymmetro parùm recedens, ſed quoque præpingue ob butyrum in eo deliteſcens, quod ipſum,arte ex lacte comparatum vel lac ipſum,& præſertim bubulum bene magna copia,propinatum, Mercurium ſublimatum, ac arſenicum ita obtundit[ſeu quorum ἐνέργεια in ſale eorum volatili ſubſiſtit] ut ea vires ſuas in vivo corpre exſerere neu ζῶιν excitare [vid. in hanc ſententiam de butyro, & oleo eruditiſſimè diſſerentem FRACASTORIUM *de Symp. & Antipat cap ultimo ſeu XXIV. fol.m.*104.*C.*] nec os,fauces, ventriculum excedere poſſint: Quæ aliæque partes, aliàs à propinatis illorum duobus, tribus quatuorve granis plus minus non ſolum inſignitè inflammantur, ſed quoque ſubitò exeduntur, nec exeduntur ſolùm

ſolùm ſuperficietenus, ſed intimè ità corrumpuntur, livent, ac nigricant, ceu à cauſtico potentiali, & ne quidem ex Mercurio ſublimato, ſed ſolum [quod ſummopere notandum] ex cineribus clavellatis parato, & cutem, & muſculos ei ſubſtratos corrumpi quandoque obſervamus. Mirabimurne ergo, ac obſtupeſcemus, aut occultum denique morbum eum appellabimus, cùm labia, lingua, palatum, fauces ventriculus, pulmo, &c. &c. partim multis, & viſum effugientibus venulis, ac arteriolis, partim verò conſpicuis & inſignibus ſint prædita [quarum partium omnium venarum, arteriarumque nomina à me tot annos anatomica publicitus profeſſo, hîc exiget nemo] ſi ob circulationem ſanguinis, punctum temporis in nobis, non quieſcentem, virus hoc actuoſiſſimum, ſeu δραστικώτατον, non modò dictis partibus inſigniter incommodet, ſed quoque ipſi Cordi, verùm ex accidenti ſolùm [ut luculenter ex *eruditiſſimo* FRACASTORIO *infra* §. 46. probabitur] aliis partibus infenſius eique longè ocyus id communicetur, ac præ aliis viſceribus maximè noceat, quàm quis horum, & quidem anatomicarum rationum ignarus ſibi perſuaderi patietur? Sed dabo & aliud exemplum. Degat in lupanari Romano tributum quotannis ſolvens Magiſtratui, ut corpore ſuo quæſtum impunè facere liceat *Bella Donna Lyciſca* meretrix, conſueſcat perfamiliariter cum ea clanculum adoleſcentulus petulcus, & venereus Nepotulus, condigna vetiti amoris præmia ab ea auferat, &c. Proh, quàm celerrimè quandoque corrupti ſeminis virus, ad Cor illius per venas, & arterias rapitur! Verùm eas, inſtituti mei non, hic loci pertractare accuratius, mox autem eas quaſi detegam nudas. Certè ſerius ocyus, pro ut nocentius fuit meretriculæ, virus fermentans, aut fermentum virulentum, quòd ab ea veluti per rumpos ut VARRONIS, aut aliud illius, ſed vulgatius nobis vocabulum uſurpem per traduces nempe venarum & arteriarum ſuſcepit adoleſcentulus id in univerſum habitum corporis diditur, cutem variè pingens, ac maculans, mox ſpurca, ac fœda ſcabie eam exedens, tractu temporis ut cum *Plauto* loquar eundem denaſans, imò illius oſſa tandem ita rodens, ac perterebrans, *cute ſæpe integra, & illæſa, atque interdum etiam muſculis, ceu fulmen mollibus illæſis dura quæque confringens, ac disrumpens*, ut PALMARIUS *de Morb. contagioſ. lib. 2do. de Lue vener. cap.* 7. *p.m.*151. loquitur, (quæ omnia nitroſi Salis ſulphuriſque volatilium, meo arbitratu, effectus ſunt) niſi alexipharmacorum ſubſidio idem virus tempori, ceu vecti extrudatur, de cujus morbi medela inferius commodior mihi, quàm hic loci loquendi dabitur occaſio; cui interim nunc liberè pronuntiare clara voce licebit [lactis exemplo introducto, ſeu cujus temperiem, omnes ſibi notam eſſe, ceu vilis, & obvii medicamenti perſuadent, nec id occultis ſeſe commendare poſſe qualitatibus perhibitum, aut in commentariis Medicorum, Me ſcio, tale quid de eo relatum eſt, antidoti interim nomine gaudente, &c.] *multa alia quoque & eſſe & dici ſpecifica, aut antidota, non ob formam, ſed ob totam ſubſtantiam ſolùm*, ut GA-

LENUS

LENUS passim loquitur, id est, *temperiem*; quam quoque [quod in gratiam Ethicorum GALENO nostro manifestam injuriam inferentium noto] animi mores sequuntur: per animi mores, non quod illi fingunt, & GALENO nostro obtrudunt Ethicos, sed naturales [ut ipsus GALENUS noster loquitur] intelligenti; ut olim complusculis abhinc annis in celeberrima hac Regia Haffniensi Academia in Disputatione mea *de Hæmorrhagia narium thes. LXVIII.* defendi, ex qua iterum in fidem dictorum ipsissima GALENI verba citabo, *Cap. 36. artis medicin. p.m. 252. D.* hæc tradentis: *Unum illud commune in hisce omnibus memoria repetentibus, quod quæcunque de MORIBUS sive nunc, sive quovis ALIO SERMONE explicata sunt ad temperaturæ cognitionem, non de bonis moribus, aut vitiis, quæ ex philosophia hominibus adveniunt, sed insitis unicuique ac NATURALIBUS nos exposuisse.* Et licet morales hos appellet, excusandus tamen GALENUS noster, cum 3. *de L. A. 4. p.m. 64. B.* hunc in modum super ea re disserit: *Cæterum clarioris doctrinæ gratia, rationalis animæ actiones principales: irrationales verò MORALES vocentur: sed has in præsentia silentio præterire decrevimus, nondum enim vel Cordis, vel Jecoris affectus tractare, proponimus, &c.* Hæc ruminent secum Ethici velim, ut desinant deinceps protervè GALENUM lacessere. Aliis vero obstupescentibus, ad syndromen symptomatum, lue Venerea infectorum, utriusque sexus; & præsertim illius causam occultam appellantibus, cum tamen non sit, quando cernunt, in modò dicta fœdissima lue, nasum primò omnium inter osseas; inter carneas verò corporis humani partes, penem & cunnum corrumpi; Ego anatomicis rationibus intervenientibus, (sine quo utilissimo & fructuosissimo studio, Medicinæ oculus quod est, Medicina quasi cæca cuspitare, ac quasi manibus ac armis truncata, conspicitur) aliorum Anatomicorum in morem, dum publicitus, in theatris Anatomicis, Nobilibus, Theologis, ac aliarum facultatum Professoribus, omniumque ordinum Studiosis, civibusque honestis Spectatoribus, velamine detracto contrectant, nuda facinorosorum, aut pauperculorum in Xenodochiis mortuorum, cadavera utriusque sexus, ac ea ipsa eviscerant ac deartuant; vel meis vel ipsorum verbis, sine ullo scandalo dato, manifestam exponam causam, ceu præ manu haberem, cadaver humanum; *cur recensita membra aut partes*, primò omnium lue Venereâ infestentur; & quidem casta mente, sed ore rotundo, atque adeò sine ullis ambagibus, de constitutione ac structura corporis humani partium

—— —— *quas sinus abscondit*,

differens, honorem non præfatus. Namque *Naturalia non esse turpia*, vetus, Latinum; & hodiernum, Gallicum omnibus quoque notum adagium est: *Honi soit qui mal y pense.* Recordabuntur interim stupefacti ad conspectum ulcerum lue Venerea laborantium, eorum quæ supra §. 10. adduxi, quibus probavi, non ob occultas qualitates stillare sanguine nares Synocho non

putrida, aut ephemera extensa laborantium, neu exedi illorum labia. Causa autem unica, & rationi congruens hæc est. Nempe quod nares innumeris & visum effugientibus, præ aliis partibus, præditæ sint, venulis & arteriolis: labia vero ex sui generis fungosa carne constent. Quare cum vulvæ quoque labia, fungosa, aut ex sui generis tenera carne quasi contexta sint, hinc facilè, corrupto acrique lue Venerea laborantium scortatorum semine, maximè si meretriculæ aut scrofæ illæ subantes, crissantesque fluctante lumbo, ab iis probè, ad lassitudinem usque permolantur, primò omnium mollicula illa labia, una cum aliis, nymphis, nec non,

—— —— *rigidæ tentigine vulvæ*,

(Satyricorum elegantis Latinitatis non mea sunt verba (post dein, ipsa vagina penis, una cum illius furca, (Anatomicorum sunt) exeduntur aut pustulis obsidentur, haud aliter, ut cum Poëta loquar:

—— —— *sicut grex totus in agris*
Unius scabie cadit; & porrigine porci,
Uvaq; conspecta, livorem ducit ab uvâ,

Ubi vero dicto modo scorta illa triobolaria infecta sunt eaque iterum Pamphilos petulcos inficiunt, jactare se præ indomita nequitie, & effrænata libidine, effutire hæc verba dicuntur: Wy hebben de Cavalieren, een brandende Lanterne aen haer Naers gehangen. Interim scortatores illi, sive justum, sive condignum stultitiæ suæ præmium, ex lupanaribus auferunt. Atque ita meretriculæ in Belgio, *Amascos suos* (cum Plauto loquor) longè graviori pæna afficiunt, hoc sæculo, v. g. in Padmo Hagæ Comitis, vel etiam Antwerpiæ in die Leepel-Strate (sed

Iliacos intra muros peccatur & extra)

quàm olim Romæ affecerunt, in notissimo illo politioris Literaturæ studiosis, vico habitantes *Subura* nominato. Quippe necdum pestis, aut potius tabes illa, Lues Venerea, Gallica, vel Neapolitana aliàs dicta, ex America in Europam immigrarat; sed Romanæ illæ *Suburanæ* dictæ meretriculæ, tunc temporis (ridicula Mecastor, aut cachinno digna pœna) solùm, solea aut crepida castigabant, frigidos, languidos, elumbes & enervatos Pamphilos, aut potius eorum nates, teste *eruditissimo philologo*, EILHARDO LUBINO p. m. ac *in Rostochiensi & patria mihi Academia, celeberrimo Theologo in comment. Pers. Satyr. V. ad illa verba pag. mihi* 728.

Nugaris: solea puer objurgabere rubra,

percutiebant aut pulsabant. Penis quoque & præsertim illius glans, (quam alii *cerasum* appellant) imò potius illius corona, facilè primò omnium ideo pustulis obsidetur, & ceu annulus, rubinis rutilantibus coruscans, iis stipatur, quia tenerrima seu cuticula, seu membrana, illius glandis fungosa & spongiosa

caro

caro obducitur aut investitur. Ut faceam adjuvantem esse causam, quod glans ac corona, *reliqua penis corpora ambitu non nihil excedant*; maximè vero corona, ut *undique arctius ab uteri vagina, & illius transversis rugis constringatur*, ut celeberrimus ADRIANUS SPIGELIUS nos docuit, quem vide sis Mome nasutule, *de corp. human. fabric. lib. 8. cap. 19. pag.* 328. præsertim cum in Medicorum ac chirurgorum, praxin exercentium libris, non attendantur hæ circumstantiæ, atque ita altum de iis sit silentium; malum autem! Itemque JULII CASSERII PLACENTINI *Tabul. anatom. & quidem inter eas decimam sextam, pag.* 183. *Figur. quintam*, contemplare, in qua dictæ Uteri rugæ, singulari studio & solertia sculptoris, adeo graphicè, sculptæ sunt, nihil ut in iis desiderari queat. Tu interim præficta castimonia, ac caperata fronte, severitudine, sed fastu tumidus tuo, præ te contemnens Anatomicos, ausculta inter eos primipilum, nempe modo laudatum SPIGELIUM, ut discas sapere, sed prius *ex Celeberrimi* PETRI SCRIVERII *Phalecio*, ipsum

> —— —— *Te*
> *Nosse ante omnia disce: disce quid sis,*
> *Quid speras, Homo vane, quidve spiras*
> *Quidve altum sapis? ecce! quâ Mephiti,*
> *Et quô sis barathro ex olente natus.*

Spigelii autem hæc sunt ipsissima verba; *voluit* (inquit lib. IV. Corp. Humun. Fab. Cap. 19. pag. 332.) *sapientissimus Opifex ut penem undiq; amplexu suo* (collum nempe uteri aut vagina penis) *comprimeret, quò suavior majorq; sexus utriusq; delectatio foret, eoq; modo in coitu, pro ratione penis, nunc latior nunc angustior, modò brevior aut prolixior redderetur.* Si ergò hac ratione, rugæ illæ transversæ & orbiculares vaginæ penis, penem arctius in coitu constringant; simulque receptacula naturalia sint, sint cum ipsius scorti seminis acerrimi corruptissimique; atq; adeo tota substantia veneni in modum, ac in specie arsenici optimi (imò sic loquor licet venenum sit) peccantis; tum non melioris notæ seminis alicujus scortatoris; qui quæso aliter fieri potest, cum uterque penis nempe & cunnus, *carneæ fungosæ ac spongiosæ, infinitis venarum arteriarumque surculis copiosam spirituum vim, iis suggerentibus, corporis partes sint*, quin illæ non longè ocyus quam ullæ aliæ, in ejusmodi fœdo & impuro congressu invicem confrictæ, inflammentur, excorientur, mox pustulis fœdentur spurcissimis? quibus nequam ille *apud Juvenal. Satyr. 6ta. pag. mihi* 224. ubi,

> *Callidus & cristæ digitos impressit Alipes*
> *Et summum Dominæ femur exclamare coëgit*,

infestari per rerum Naturam non potuit. Cur non? quærit anatomes ignarus? digitus namque non est penis, & si ille eàdem structura ac substantia, qua

 penis.

penis, pateretur quoque eadem mala, quæ penis. Atque hæc de partibus carnosis lue Venerea obsessis, hic loci attulisse sufficiant. Restat ut de osseis Nasi idem demonstretur; nempe cur eæ, præ aliis corporis humani ossibus, primò omnium erodantur aut carie consumantur. Ea ergò cum quoque omnium totius corporis ossium tenerrima, spongiosa, & fungosa conspiciantur; Hinc cum ob acrimoniam salis, virus luis Venereæ sit penetrantissimum, maximèque tota substantia ossibus infensum, ut paulò ante hoc ipso in paragrapho 27. ex PALMARIO demonstratum est; usu venit: ut impuri scortatores, imprimis naso truncentur, cum ejusmodi virulento, & gangrænoso (ut ita dicam) sanguine ossa illa nutriri nequeant. Exesse ergò deinceps quoque Luem Veneream, numero *Morborum Formæ* jubebimus; cum hic Nasi morbus, *Intemperies sit, cum materia gignens depravatam figuram, quam communis morbus, seu unitatis solutio comitatur*; qui ad unum omnes manifesti sunt, non occultarum qualitatum, aut *Formæ dicti Morbi*. Etenim ut manifestò procumbere in ruinas parietes intergerinos, & tecta ædium cernimus, ubi tigna perpluunt, pluviâ naturaliter acri, (ut infra §. 44. probabitur) & ligneas ædium partes, eandem corrumpere; sic nasus, ubi illius *inter septum osseum*, una cum *columnâ* appellatâ, malè habet, se procubiturum in ruinam, ob pravam intemperiem cum materiâ acri, ob quam tenerrima illa ossa nasi, quasi perpluunt, minatur. Uti verò, cum columnæ arcuatorum aut concameratorum operum iis subtrahuntur, ea corruunt & collabuntur: sic nasus qui arcuata est structura, ubi illius inter septum osseum, carie exesum corruptumque, ei amplius sustinendo non est, quandoque ita complanatur, quasi fistucis, (de quo sive vocabulo, sive instrumento, *Vitruvius* videndus; quod jöculariter, ob formam ansatam, ideo mercenarii qui plateas lapidibus sternunt, appellant, Eine Junffer/ aliàs ein Block oder Ramme dictum) ac ingenti conatu esset contusus, nasi globulo solùm prominulo, und so können alsdann solche Stinckende Huren-Böcke/ und Geile Huren-Hengste / zugleich (da jhnen/ die nase nicht darinnen verhinderlich ist/ oder sie nicht mehr daran stossen können) von einer Taffelen/ mit den Küchlein essen: ceu quorum nasi globulus, ita sensim in caput retrocèdit, ut testudo, sub testa sua caput abdit. Ast si luis Venereæ malities incrementa adhuc sumat, aut latius serpat malignitas, ac palati cœlum fornicatum ruat, tonsillæ ac uvula singulari, laxa, rara, tenera carne ac compage, exedantur, ac veluti liquescant, ceu limax sale conspersus, tum:

Non deest protinus ecce de malignis,
Qui sic rancidulo loquatur ore,

ut illa *Martialis*, ex 7 *tim. lib. Epigram.* 33. *ad Severum pag. m.* 177. huc accersam, aut mutiat, vel *mu, mu, mu*, ingeminet raucus. Obtestor interim Lectores hujus mei commentarii, cujuscunque sint ordinis ac dignitatis, indulgeant Genio

meo

meo feriis quod jocos miſceam. Præcipit enim *Seneca* Philoſophorum anteſignanus: *Objurgationi ſemper aliquid blandi, eſſe admiſcendum*; *facilius* namque (aſſerit) *penetrare verba quæ molli vadunt via, quàm aſpera.* Ut taceam, Divum *Apoſtolum Paulum* Senecæ coætaneum quoque idem nobis, epiſtola ad Coloſſenſes cap. 4. 6to verſu præcipere his verbis: *Sermo veſter ſemper cum gratia*, ſit, *Sale conditus*, *ut ſciatis, quomodo oporteat, unicuique reſpondere.* Sed non vagabor latius, illa iterum capeſſens, unde neceſſariò, in tam difficili argumento, & enodanda cauſa proxima, luis Venereæ digreſſus ſum; quod citra magnum verborum ambitum, & citra ſubſidium anatomes, fieri haud potuit, deinceps demonſtraturus; aliis antidotis dictis, hoc cum pinguibus, oleo, butyro, lacteque commune eſſe, ut tota ſubſtantia agant. Ut ergò ſuperius, Tartari vitriolati exemplo introducto, docui, in Bufone, ad quem mox revertar, ζέσιν fieri inuncta pice, &c. &c. ita jam per alia exempla, ut in corpore humano, ζέσις ab hauſtis venenis, iterum ſiſtatur, & quidem ob manifeſtas qualitates, probaturus ſum.

§. 28. Nova poſtulata dices, Non curo modò quantum poſſum, veritatis amore, ſtudioque ductus, morbos Formæ ſupplantem. Credibile ergò cum venenis ac antidotis, ita comparatum eſſe, quaſi cum nitro ac ſulphure. Nitrum verò maximè eſt volatile, non fert ignem; aſt ſi iſti fuſo, tantillum ſulphuris ſuperfuderis fugis ilicò nitrum, & obtines ſaluberrimum medicamentum nitrum præparatum, imò Sal paradyſi dictum, quòd egregiè omnem ebullitionis ſanguinis inſtar incantamenti ſiſtere valet: Hinc in lue Ungarica maximo id commendatur opere. Sic memini, cùm abinc aliquot annos Monetarii noſtri Viri integerrimi Henrici Köleri famulo, cùm vinum aduſtum ita imbibiſſet, ac arcus aquam, eique non ſolùm toſta quaſi eſſet lingua, ſed viva flamma ex faucibus exarſiſſet, eique drachmam unam, itemque alteram Nitri præparati ſandalo rubefacti propinaſſem, me eum, DEI gratia, præter omnium ſpem, at heri magno applauſu, à deſcenſu Averni revocaſſe. Quærenti verò ex me hero, nomen admirandi rubri iſtius medicamenti, jocu-lariter reſpondi: ad rem monetariam non pertinere Medicinam; medicaſtrorum plures eſſe, quàm muſcarum in foro boario, ubi caletur maximè diebus canicularibus; Cæteroquin ſciret, ipſum calcare cotidiè ea, ex quibus id pararetur: & nonne ego, condocefactus, non aliud promptum lingua, aliud clauſum pectore habere, vera retuli? Omni enim die ſulphur, & nitrum verſant monetarii.

§. 29. Cur autem nitrum à ſulphure figitur? Crepabis hic ilicò occultam qualitatem ſulphuris: Nondum eò confugias adhuc opus eſt; quippe Ductor ad morbos formæ, Doctorque tuus Fernelius de abdit. rer. cauſis II. p.m. 137. *Tum eò venire neceſſe eſſe ait, quoties effecta rei cujuſpiam ratio nequeat vel acutiſſimi hominis ingenio explicari, lucemque recipere, neque quoque modo primorum elementorum na-*

turis attribui, &c. Dic ergo, ut pinguedo, quæ in sulphure extra corpus humanum manifestò in tigillo Walburgensi aurificis Nitri fusi ζέσιν sistit; sic eam ab antidotis in sanguine humano inhiberi, quod luculenter duplici ratione fieri loco superiùs §. 27. laudato *de Sympath. & Antipath.* Eruditissimus FRACASTORIUS docet: *nempe vel frigidi mistura, vel si obsistens ita præpares* [per obsistens, ut ego hic accipio, intelligo sanguinem humanum effervescentem] *ut extendi in magnas ampullas, non possit, quod faciunt unctuosa injecta.* Et prior hæc frigefaciendi qualitas in nitro præparato insignis, an verò seu per se, seu per accidens frigefaciat hîc loci non disceptabo; posterior, seu ut FRACASTORIUS loquitur, ampullas cohibens, balsamo sulphuris, aliisque unctuosis accepta est ferenda. Vides nihil hic occulti ingruere. Nisi verò flores sulphuris essent pingues, aut bituminosi, nec terebinthina quoque partem resinosæ pinguedinis participaret, unquam ex iis remistis balsamum sulphuris arte ulla conficeres, aut ex iis saluberrimum, & quidem contra pestem ipsam, medicamentum obtineres specificum dictum. Cur? an hîc occulta qualitas, Elementa superans in balsamo sulphuris contra pestem, quam abigit, delitescit? Nego, & pernego occultam delitescre. Sulphuris enim, & terebinthinæ pinguedines in balsamo sulphuris arte coëuntes figunt illam ζέσιν, quam μιάσματα maligna febrium petechialium, imo ipsius pestis, causantur in corpore humano. Atque ita ob has pinguedines balsamus sulphuris pestis cujusdam specificum & est, & audit remedium, aut vera cujusdam pestis est antidotus. Frustra enim es Philalethes, si panaceam vel dari, vel repertum iri adversus omnia venena, adversus omnem pestem tibi persuadeas. Pridem enim ex MASSARIA §. 13. doctus es: *Pestem non esse nomen certi alicujus morbi*, &c.

§. 30. Objicis? me jam velle balsamum sulphuris lentore suo pesti eum in modum resistere, ceu lac, & oleum sua pinguedine venenis. Sic est: Ast quomodo Lac πολύχρηστον, obtundat pinguedine, aut unctuositate sua, (ut ita dicam) ne serpat latius, aut ipsa in viscera penetret virus luis Venereæ, casta mente, sed fœdo exemplo introducto, Anatomes ac medicinæ Studiosos; non investes pueros, aut qui manus ferulæ, nec dum Orbilii alicujus plagosi, subduxerunt, hîc loci docebo; præsertim cum paulò ante nempe §. 27. demonstratum sit, idem lac Mercurii sublimati ac arsenici acrimoniam aut virus obtundere aut infringere, non aliis quàm manifestis qualitatibus. Ut verò Agyrtæ, hausturi venenum, olei ac pinguium beneficio, se adversus id præmuniant, quo credulo nimis vulgo, turpis lucri causa, glaucomam (*ut cum Plauto loquar*) ob oculos objiciant, eumque ita faciant, ut quod videt, non viderit, id *apud Matthiol. in 6ti Diosc. lib. Commentarij Præfatione pag. m. 979. legere est.* Sed ut pravas has illorum artes, ille ab agyrta se doctum confitetur. Sic ego non diffiteor, mihi à quodam ex India Orientali abhinc aliquot annis, flagrantissimo,

ſimo, inter Britannos & Belgas Bello, milite Belga, nomine Cornelio N. prætoria, quadam navi, *Sereniſſimorum ac Potentiſſimorum Ordinum Belgij*, huc advecto, poſtquam gonorrhæa virulenta, cæpiſſet hîc laborare, horribilis ſecreti inſtar, ſingularem Lactis uſum, aut potius abuſum eſſe revelatum. Quippe qui aliquot vicibus ſolo lacte nulla aqua diluto, ſe vindicatum ab iis malis, quæ è veſtigio, impurum concubitum comitari aſſolent, ultro confitebatur. Referebat enim hic ex plebe infima, poſthabita verecundia omni, impuriſſimi oris cynicus, ſe peracto illo ἔργῳ φυσικωτάτῳ ubi vel tantillum, penis glandem, ſibi prurire advertiſſet, ſe condocefactum eſſe, integrum penem immergere in lac, ex uberibus Vaccæ recens mulctum, & adhuc tepidum, aut etiam arte tepefactum, quo cum potiri non potuiſſet, excubiis jam in dicta navi diſpoſitis, redux paulò ante, à meretricula quadam hujus Urbis factus, hinc deflere ille ſtultitiam ſuam, ac ejerare furibundus ſcortationes. Sed quem ego interim annumerandum illorum numero arbitror; quorum Nomina *in commentarium, de ſera Numinis Vindicta* PLUTARCHI, eſſent referenda; ideo quod nequiter & nefandè, optima hac antidoto, lacte nempe ſæpicule ſit abuſus, in quem illiuſque tribules jure meritoque illa *Senecæ Tragici*, *ex Hercule furente* transferri poterunt:

> *—— —— nemo ſe tuto diu*
> *Piriculis offerre tam crebris poteſt;*
> *Quem ſæpè tranſit caſus, aliquando invenit:*

vel etiam illa *Horatii ode. 2. lib. 3. carm.* quæ exſtant:

> *—— —— ſæpè Dieſpiter,*
> *Neglectus, inceſto addidit integrum;*
> *Rarò antecedentem ſceleſtum,*
> *Deſeruit pede pœna claudo.*

Sed his relictis, me ad priora recipio; & Medicus Medica tracto. Balſamus ergo Sulphuris, lac, oleum, modò recenſita omnia, Symptomata ſopiunt, quia lenta pinguiaque ſunt; quæ qualitates aliàs non merentur nomen occultarum, neu in earum cenſum veniunt; quod abundè, & paſſim in digreſſione hac mea, demonſtratum eſt. Velim interim obſervet Philalethes, non caſeoſam ſeorſum; non butyroſam ſeorſum; non ſeroſam ſeorſum, ſed lac tota ſua ſubſtantia, ſeu miſtionis ſuo modo, (vid. infr. §. 60. VALLESII & HOFMANNI dogmata, quibus meritiſſimò ſubſcribitur) reſiſtere, ſcorti alicujus corrupto ſemini, pene adhuc ab illius congreſſu udo ac ſordido. Ut ergo ſemen, quod miſtura, extractum, aut quinta quaſi eſſentia, venoſi & arterioſi ſanguinis eſt, omnium animalium, v. g. Elephanti & muſculi; Strutiocameli & paſſerculi, in vivis illorum corporibus probè per circulationem ſanguinis, elutriati,

triati, aut meritiſſimò dici aut nominari poteſt, tota ſubſtantia agens; ſic ei corrupto, tota ſubſtantia reſiſtit lac, ſed alio modo, ut de ligno Guajaco §. 60. relatum eſt; & quidem ſolo pene infecto, ac fiente adhuc morbo, non vero jam facto. Nam naſum oſſeum, à lue Venerea corruptum, jam creperum ad digituli tactum, ſeu jam contortilem aut quaſi cereum, ad latera flecti facilem, velle immergere quoque lacti tepido, ſummæ ignorantiæ, & inſcitiei plenum opus eſt, Gravior enim jam curatu hic morbus eſt, quàm ut optimo anodyno lacte, conſopiri illius malignitas queat; ſed qui jam morbus malorum morum, & eſt, & appellari debet. Cur autem? quia in medica ſchola, commodius vocabulum haud occurrat; concurrantque in deſcripto naſo, omnium morborum genera; nempe intemperies, organicus, & communis, ſeu ſolutio unitatis. Ut verbulo non meminerim, hanc organicam partem corporis, (ut ex antecedentibus conſtat) ex diverſis partibus, cutaneis, carneis, oſſeis, cartilagineis &c. affabrè fabricatam comparere, quæ diverſiſſimo modo, ratione temperiei, qua præditæ ſunt, tractari volunt: Unde quoque ſingulis vel omnibus malè habentibus; ſymptomata illas infeſtantia, uſque adeo exacerbeſcunt ſæpiculè, ut ſolertiſſimorum Chirurgorum, ſive ſtudium ſive medelam eludant, ac ægri, nempe Venerei illi Nepotuli, denaſati, tam diu incedunt, uſque dum abeant ad locum communem, unde negant redire quemque. Sic malorum quoque morum morbus eſt, quando globuli plumbei bombardarum, carneas, nervoſas, oſſeas corporis partes violenter una lacerant, aut uno eodemque impetu aut ictu quaſi in momento v.g. oſſis femoris epiphyſin ad genu contundunt; unde ſi gangræna obſeſſum iri, modo nominatas partes, metuat Chirurgus, vulgus perperam, globulos fuiſſe toxicatos ſciſcit. Si ergo cum naſo lue Venerea laborantium, ita comparatum eſt, ut retuli utique ob allatas rationes anatomicas, medicas, ac chirurgicas, maximè probabiles, ipſus Philalethes fatebitur, fruſtra omnes eos eſſe, qui lacte, aliàs optimo anodyno, periclitabuntur dictæ fœdiſſimæ lui, mederi, quæ pro renata, jam Guajacum, ſaſſafras, Zarſaparillam, caput mortuum Mercurii ſublimati, Aquam Viridem *Plateri*, & ſimilia, cum particularia, tum univerſalia, imo quandoque, univerſalem corporis Mercurialem inunctionem moleſtam, ſtuphaſque Britannicas, aut ſartagines Laconici poſcunt, ut *quaſi Medeæ in lebete recoquantur*, ut Incomparabilis HOFMANNUS *de medic. officinalibus, lib. 2. cap.* 128. *ſect.* 3. *pag.* 379. §. *XI.* loqui amavit. Aſt quo non fui abreptus, lactis & olei ubi à me, injecta eſt mentio? Me interim non eſſe immemorem ſcias velim, picem Norwagicam lentam, Me ipſo autore [cæteris paribus] Bufonibus eſſe neci, & præſentiſſimi veneni loco. Reſpondeo, quaſi ipſe non noviſſes, diſtinguere inter illa, quæ fiunt per ſe, & per accidens, ut ex prioribus notum eſt. Prohibet enim pix illa lenta

circula-

circulationem sanguinis ichorosi bufonum, non tamen semper, ut paulò post docebitur, eos citò jugulat, sed solum medio meridie, aut ubi.

Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis;

quibus, ut obiter hæc notem, dubio procul pix Norwagica quoque veneni erit loco, illita. Auguror enim & circulationem si non sanguinis, quo carent, at illarum succi illi analogi, cordisque illarum motum, sole ut dixi ardente, sisti posse, si pice quoque inungantur. Quid? quod pix Norwagica, citra solis æstum, certo myriades pediculorum capitis enecet, tantillo butyri ei remisto; quod licet retundat, aut veluti edulcet acrimoniam salis volatilis in pice delitescentis: attamen id ideo solùm pici dictæ remiscetur, ut ab illius illitu, post dein non evellantur capilli, & ut enectis pediculis lotoque capite, exuviæ illorum una cum lendibus tanto facilius, detergi à capillis queant. Vides ergo, Philalethes, omnia hic esse manifesta, occulti aut veri veneni, nihil. Tu interim, quod quoque superius feci, mecum concludes. Ergo *pesti, & morbis malignis is medebitur, qui ζέσιν sanguinis in corpore humano inhibere, vel μίασμα, quod fermenti loco est, quocunq; modo expellere potis est.* Sic est. *Permaneamus ergo in hac, ni fallor, rationi, & experientiæ congruenti sententia, & facessant hinc, aut exulent penitus deinceps morbi occulti.*

§. 31. Verùm, ut ut modò recensita, omnia ita sese habeant, ut relatum est; attamen formæ morbis addictus instat: scire se velle causam, cur nempe venenatorum animalium ictus, v. g. scorpii, aut Draconis marini, non semper eòdem modo nobis noceant, sed diversissimè nos afficiant, quod dum faciunt, videntur illorum venena superare omnes qualitates manifestas, & quicquid à qualitatibus dependet: Quin &, cum contagii natura adeò occulta, & abstrusa sit, unicè se exoptare, ut modum, aut actum doceri possit, per quem contagio inficiamur. Cui Ego è vestigio gratificabor, gratias illi agens, quòd non per senticosam, & asperam viam se ductum conqueratur, cùm in anatomica schola ad ipsius cordis sedem pervenerit, dum illi viæ demonstrarentur, per quas mediante circulatione sanguinis ad cor ipsum virus v. g. Mercurii sublimati, ac arsenici pervenire posset: quem jam unà exorabo, benigne accipiat, hoc in casu, istas rationes, quas *Celeberrimus* SENNERTUS Præceptor olim meus *part. 2da Institut. medicin. lib.2.c.12.p.m.*278. nobis sufficit, inquiens: *Vulnera* [loquitur de morsibus & ictibus venenatorum animalium cæteroquin defensor acerrimus occultorum morborum] *aliàs periculosiora, aliàs minus periculosa sunt, non solùm prout ab animali magis vel minùs rabido infliguntur, sed etiam prout huic vel illi parti inferuntur. Nam si læsio accidat in arteria, facilè homo perit, ac in syncopen incidit: si in venam humores maximè corrumpuntur: si in nervum, convulsiones excitantur, semperque per consensum pars aliqua nobilis, quæ cum affecta cognationem habet.* Si ergo v. g. CAIUS aliàs cachecticus ac male-sanus natura capito, & cerebrosus; LÆLIUS

verò plethoricus, ac contrariis sit moribus icatur, aut pungatur à Scorpione, aut Dracone marino, & uterque vel alteruter horum, CAI nervulum; LÆLII verò neque nervulum, aut nervum; neque venulam, aut venam; neque arteriolam, aut arteriam lædat, hinc hinc CAIUS delirat, & per consequens helleboro, si sanari potest, indiget; LÆLIUS non item.

§. 32. Hic verò loci aliter facere non possum, quin in gratiam φιλιάτρων superpondii loco rarissimum casum recenseam, quem musteus adhuc Doctor observavi, dum in inclyta Lubecensium Vrbe, quæ semper tantum inter Hanseaticas Romanique Imperii liberas

—— —— caput extulit Urbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi,

praxin medicam exercerem. Casus autem hic est: Cum Sponsus quidam honesto loco natus, Sponsæ suæ charissimæ blandiretur, jocantibus ac lusitantibus inter se invicem, accidit, cùm illa parte quadam extrema, strophiolum acicula Aquisgranensi, telæ Cameracensi consuendæ adprimè commoda, transfixisset, filo in orbem ei circumducto, quo præter illam, qua nebat, aliam in promptu haberet, ut strophiolo isto sponsum, habitu minimè athletico, sed macilentum, venis interim latissimis peteret, qui sinistra eaque externa, strophioli jactum declinare volens, eum tamen maximo suo incommodo excipit: Quippe petitus à sponsa, punctim ita feritur, ut ex acicula manui infixa strophiolum dependeret, ac ex ea aciculam evellere cogeretur. Hinc paucis elapsis horis non solùm ingentem dolorem percipere sponsus, sed quoque illius sinistra adeò intumescere, ut postridie chirurgũ primarium NICOLAUM FENSMANNUM arcesseret, qui perterrefactus periculosorum, & insolentium symptomatum vehementia, me sibi consultorem, & Socium [nî fallor nunquam qui legi epistolas obscurorum Virorum, id Romanum est vocabulum, ac proin nolim ob hoc vocabulum, me, alius Socii, iniqua & proterva censura, contra jus, fasque vexarier] jungi exoptavit. Accersor; compareo quoque actutum, ægro, adstantibusque recensito mòdo, rem gestam mihi enarrantibus. Contrecto manum ægri, vestigio aciculæ ei inflictæ nullo, manu integra jam ad carpum rigente, aut inflexibili: Quæro ergo ex eo, anne recordari posset, cui potissimum parti manus, inflicta esset acicula, ac indice dextræ demonstrat locum, aut eam regionem, qua tertium os metacarpii digitum annularem, aliàs Medicum dictum fulcit, aut sustinet; quem, cum pertento, valdè prætumidum extendere, flectere ve: Bone DEUS! ut ille exclamare, ut frendere. Interim videbar mihi videre vestigium aciculæ comparandum ad atomum aliquam Democriti, & quidem ea in parte manus, qua digitus annularis, ac modo dictum os metacarpii articulantur; attamen non ipso in ἄρθρῳ, sed infra

eum,

eum,aut circa eum,ubi id os & epiphysis illius inter se confervent, &c. Pergebam ego lustrare studiosiùs manum, incredibiliter tumidam, blando pulpæ apicum digitorum meorum attactu explorans ejus conditionem, &c. & vix ferre hunc,aut tolerare præ intolerabili dolore æger poterat,inquiens: **Es stieche ihn in der Hand/als wann Er tausend Nadeln darinnen hätte/ oder voll von Ameisen wäre/so bieffe es ihm darinnen.** Nulla interim signa extravenati sanguinis, sed discolor,livescens,aut potius ἄῤῥητος fugax color, & quidem tum in ea solùm comparebat, ubi meis, ac chirurgi digitis blandè eam demulceremus, &c. Consilio hic & subsidio opus erat non proletario adversus malum, quod gangrænam portendebat, cujus signa sciens, volensque hic enarrare supersedeo, aliàs & iteratò inferiùs de Gangræna acturus. Quare hoc dedi: non expedire singulari hoc in casu, ut, quod astantes urgebant, abiretur ad scorpionum oleum,similiaque &c. sed post largam venæsectionem [febricitabat enim impense,& iatis erat venis æger] pinguibus omnibus interdictis, decoctum partim anodynum,partim discutiens,partim nervosis partibus gratum,seu earum τόνον corroborans imperabam, quippe id ex æqualibus partibus vini Gallici, & aceti vini, florum sambuci, & camomillæ vulgaris odoræ; partibus quoque castorei ac myrrhæ æqualibus ac tantillo camphoræ parabatur, in quo colato, & fortiter expresso, lintea imbuebantur, iisque caldis manus circumvolvebatur; à cujus fotus usu quoque, DEO benedicente, insequente nocte, omnia symptomata ex voto mitigabantur; atque ita gliscenti gangrænæ, tempestivè occurrebatur, alia δέοντα ut conveniebat, ritè curante Chirurgo solertissimo.

§. 33. Verùm quo fine huc allata hæc de Sponso historia est? Nullo alio,quàm ut demonstrem, præter illas à *Præceptore meo, celebratissimo* SENNERTO recensitas partes,(ut sunt: venæ,arteriæ,nervi) etiam alias, sed non admorsas, nec punctas à virulentis animalibus, æquè gravissima mala invehere, ac sanguinem secundum totam substantiam ita corrumpere posse, haud aliter, ac si scorpius, aut draco marinus plagam virulentam nobis inflixisset. Consectarium ergo horum allatorum erit: eum quidem,qui anatomes ignarus est, tam illam punctionem, quam scorpius, & draco marinus causati sunt, quàm eam, cujus causa,minimè toxicata,ut ita dicam,acus Aquisgranensis est, certo appellaturum: morbum occultum, morbum totius substantiæ, imò morbum Formæ, quæ unitatis est solutio, communis aliàs & ideò sic dictus morbus, quia similaribus,ac organicis partibus communis est. Ast quî is id ipsum potest, aut debet? Si enim eadem symptomata acicula acutissima, sed non toxicata inducit,quam quæ à scorpii aut draconis marini ictibus aut punctionibus patimur; dicemusne ab illorum animantium formis manasse hæc vel symptomata,vel hos morbos; aut excedere qualitates elementorum, aut delitescere in

iis τὸ Θεῖον Hippocraticum? Gerræ ergo, hi morbi formæ, sunt germanæ, atque ædepol liræ liræ, ut Milphio apud Comicum, blanditias Agorestoclis in *Pœnul. A. 1. sc. 1. v. 9.* appellat.

§. 34. Regeris; herbam tibi porrigam, inquiens: si tu eam unitatis solutionem ad oculum demonstrabis. Non possum, ajo. Ast abi Romam, discalceatus, si placet, ad ATHANASIUM KIRCHERUM verè sic nominatum, cùm non omnis morietur

—— —— multaque pars sui
Vitabit Libitinam

qui smicroscopio suo planè singulari, tibi morbos in numero, quod magis [in scholis medicis sic dictos] eosque incredibiles, *vermes* nempe *in corporis nostri contentis ac continentibus partibus monstrabit*, quos antidhac ne quidem in insomniis quis vidit. Qui & procul dubio tibi illa vulnuscula [quæ necessariò plagam, aut punctionem insequuntur, nisi statuemus dari penetrationem dimensionum] ab aculeo scorpii, aut draconis marini, denique ab acicula, modò recensitis, aut similibus individuis [individuis dico non hominibus] inflicta deteget; & vel me, vel te, aliosque docebit beneficio sui smicroscopii, an relicto in plaga aculeo, vel non, scorpius aufugiat; aut draconis marini spinæ summus apex, dum quemquam eo pungit in plaga ea relinquatur, quorum neutrum fieri puto: Natura exarmante animalia, & spoliante ea iis armis aut auxiliis, quibus se tutari debent, [DEUS enim & Natura nihil frustra] quamvis me non fugiat MARONEM tale quid de Apibus *Georg. IV. v. 236.* tradere, dum ita canit

Illis ira modum supra est: læsæque venenum
Morsibus inspirant, & spicula cæca relinquunt
Affixæ venis animasque in vulnere ponunt.

Ego verò destitutus smicroscopii subsidio, verissima interim referam, nempe: me quantum tactu, & visu tunc temporis, seu eo, quo Sponsus acu pungebatur valui [valeo adhuc eo DEI Gratia & præditus visu sum satis acuto, septuagenario major nullo specillo indigus, proxima accuratè, è longinquo posita ab adolescentia mea ultima confusè discernens] advertere nullo modo potuisse, acum istam apice fuisse mutilatam suo. Næ ergo sæpe morbi occulti appellantur, cùm non sint, modò accuratiùs in causas illorum inquireremus? Ut taceam me subdubitare [affero solùm hoc in illorum gratiam, qui morbos formæ agnoscunt] num Scorpius quantus quantus usque adeò malignus sit, ac vulgò proclamatur, aut creditur, cùm notum ex DIOSCORIDE *lib. 2. cap. 13. fol. mihi 72.* sit, eum edi adversus plagam afflatum. De Dracone marino res plana, & certa est, nihil eum præter spinam acutissimam, quid noxii possidere, quàm si in eo malignam, aut potius venenatam appellabis discesve etiam acus Aquisgranen-

granensis acutissima maligna, aut potius venenata dicenda est, quippe eadem symptomata supervenisse illius punctioni observata sunt, quàm quæ punctionem Draconis marini consequuntur, quæ SENNERTUS *part.* 8. *lib. VI. c.* 43. *p.* 372. *recenset.* Cæteroquin notum, Draconem marinum, Belgis PIETERMAN dictum, in ipsorum foris piscariis cotidie venum exponi, palato nostro non ingratum, nec nobis insalubrem piscem: & anne ipsarum viperarum caro esui? & ut infrà demonstrabitur anne alexipharmaca est? tota substantia, i. e. Secundum GALENUM nostrum temperie sua, & qua vipera est, venenis, & Elephantiasi resistens. Sic draco marinus, & scorpius nempe sibimet antidota sunt, quorum ille dissectus & apertus; hic verò tritus, crudus, & impositus suis plagis teste DIOSCORIDE & experientia medentur. Solùm ergo Scorpius, & quidem extrema suæ caudæ parte venenatus est: in qua si præter spiculum, aut aculeum ad apum ex parte comparandum, non verò capsulam, neu vesiculam, aut quod desiderare nonnulli videntur, lecytho quid analogon, in quo virus illius, ceu in hoc, oleum asservatur, demonstrare ad oculum tibi queam; an ergo ideò tam abstrusam venenorum quorundam [nondum ausim dicere omnium] naturam, indolemque esse putas, quam animo concipis, ut ita elementorum qualitates superent? Non puto. Atqui tu mihi prius demonstra in bombyce ac araneo loculamentum, aut ei quid analogon, in quo bombyx, itemque araneus suam telam habent reconditam; quorum ille, ut notum, ea sese sub autumnum integrum obvolvit; hic verò omni die ex loco satis edito ex ea sese librat, & in terram dimittit, Subdubito sanè, num vel suo smicroscopio optimo *Incomparabilis* KIRCHERUS integram hanc telam artificiosè conglomeratam, conglobatamve, ne præcipitem se dando araneo, ea intricetur, uno intuitu in dissecto araneo demonstrare nobis possit. Verùm ad abstrusam veneni, & præsertim, quod perexiguum scorpius nobiscum communicat, naturam explicandam, oleum, pinguiaque maximè conferunt. Etenim si olei, aut pinguedinis guttulam unam, itemque alteram solùm liquidis aut aquis tepidis [quibuscum & sibi invicem contrariis remiscere nunquam potest oleo semper natatili] superfuderis, veluti in momento guttula illa ita diffluit, ut universa aquarum superficies sæpe pinguescat. Quàm verò ! ob eandem rationem, pix liquida Norwagica, maximè æstatis tempore, paludum aquas pluvias subtepidas, si vel tantillum illius ex axibus curruum in eas, destillet, vario colore, & iridem cælestem æmulante; itemque smegmatis Hollandici granula aliquot aut scrupuli prægrandes innumeras illas bullas, quas ludentes pueri anhelitu, flatuque excitant, inficiant, palam est. Minima certè in quantitate pinguia omnia hæc præstant, & quasi in momento. At si olea, pinguia, pix Norwagica liquida, smegma, Hollandicum participarent temperiem excrementitii humoris scorpii, quem in cutem epidermide læsa [ea enim integra pleriq; venenatorum animalium morsus nobis non nocent] evibrat nostram, utique omnia hæc venena essent dicen-

da, cùm non ſint, & tamen, ut dictum, pinguia illa minima in quantitate, & quaſi ἐν τῷ νῦν vires ſuas exerunt: quæ duo: ſcilicet & in parva quantitate, & ocyſſimè agere, aliàs attributa propria venenorum eſſe perhibentur. Vide in hanc ſententiam GALENUM *de locis affect. VI. cap. 5. p.m.* 153. *D.* ubi de phalangii ac ſcorpionis ictibus diſſerit; dubius, an ſpiritus, an tenuis humiditas id ſit appellandum, quod ſcorpius in plagam excernit. *Quippe cum ſeſe is applicat*, inquit, *aut perquam exiguum eſt id, quod injicitur, aut nihil omnino, nullo apparente foramine in ipſius aculeo*, de quo Ego valdè dubito. Pervium autem aut cavum eſſe ſcorpii aculeum maximè probabile eſt; cùm culices, & pulices per tubulatum aculeum, roſtro aut proboſcidi analogon, pilô longè teneriorem ſanguinem noſtrum ſugant: quin & prægrandes muſcas equinas, ſumma æſtate, hoc modo equorum ſanguinem exſugere, quotidiè cerne licet. Sed linquam hæc.

§. 35. Ego verò optarem, tam promptè me tibi, aut ulli temperiem venenorum monſtrare poſſe, quàm in paludibus à pice coloratam aquam, ac ſuper juglandium putaminibus vaſtam pulchre ex cæruleo variegatam hærentem bullam puerorum luſitantium, &c. imò & quæ veluti in momento, flatu eorum tubulo ſtramineo interveniente, elevatur, aqua in putaminibus juglandium ſpumeſcente, &c. Et Tune longè æquius ac melius de occultis qualitatibus venenorum, aut ſolùm ſolius ſcorpii veneno judicares? Quod ego excrementum illius tertiæ concoctionis eſſe arbitror nobis ita infenſum, aut ſputum noſtrum tertiæ quoque concoctionis excrementum ipſi ſcorpio eſt, quod ipſum enecat.

§. 36. Sed dixeris: diffundantur omnia illa recenſita, & dicto modo ea ita ſe habeant; attamen non ſunt δραστικὰ & proin claudicare tuum ſimile. Heus tu, ſimile non eſſe idem mecum noſti! Claudicet quoque illud ex parte, per me licet, non intercedo: modo, hoc interveniente ſimili, quantum poſſum indagare venenorum indolem, ſeu collectim ut dicam, Naturam mihi liceat. Concedis ergo illa quidem eſſe venena definienda, dum de cathedris diſputamus, quæ in parva quantitate, & quidem celeriter agunt. Sed dicis: committi fallaciam inſufficientis enumerationis partium & multa alia, &c. Requiris enim & δραστικὰ illa eſſe debere. Ego verò linquam iſtam ἀκρίβειαν cathedrariam, quæ in ſtadio Me hoc meo non morabitur, ac proin definitionem venenorum nemo à me hic exſpectabit, aut à me quoque poſcet: ſolùm hoc in præſens dum ſtudeo, ut obvio, & quotidiano exemplo, occultas, ut putas, venenorum qualitates, quæ temperiem illorum neceſſario ſequuntur, tibi declarem, idque faciam exemplo fermenti, aut potius fæcis cereviſiæ. Fæx enim ea, & in parva quantitate, & celerrimè exerit ſuas vires, & eſt maximè δραστική, imò & vehementer corpus noſtrum lædere, & hominem in vitæ periculum [non jam diſceptabo

ptabo heic an per ſe an per accidens id faciat] conjicere apta eſt, ceu quæ dum adhuc cereviſia fermentatur quàm multos neci dedit apoplecticos, & tamen nemo occultis qualitatibus fæcem cereviſiæ eſſe præditam, dicet.

§. 37. Sed verba in rem conferamus, ut nempe illius *δραστικῆ* facultas nobis innoteſcat. Recipe ergo cochlear unum itemque alterum fæcis cereviſiæ, ſuperfunde eam cereviſiæ ſubtepidæ recens coctæ; nonne parvam hanc illius quantitatem aut maſſam vides ilicò diffluere, aut diffundi, mox ab ea capaciſſimum vas aliquod tonnarum, aut doliorum cereviſia plenum ita fermentari, ut maſſula illa fæcis fluxa jam unà cum cereviſia ipſa, vaſe illo licet capaciſſimo contineri nequeat, imò ſuperfluere eam, & ceu aquas extra ripas diffluentes, coërceri non poſſe, interveniente nimirùm *ζέσει* aut *ζυμώσει*, experieris, de qua aureum mecaſtor ANTONII GUNTHERI BILLICHII *Archiatri Oldenburgenſis* librum, cui titulus: *Anatome Fermentationis Platonicæ*, maximoperè legendum Medicinæ Candidatis commendo. Quin & ſi convaſetur, ut ita dicam, hæc nondum ſatis defæcata cereviſia, anne ob inſignitam fæcis cereviſiæ *δραστικὴν* facultatem ob exiguam quantitatem ſalis in fæce cereviſiæ deliteſcentis vaſorum juncturæ vietoris dedita opera, & ſummo ſtudio quaſi conglutinatæ ita ſæpe hiſcunt, ut omnis cereviſia per eas perfluat. Jam ergo, conſideratis his nempe quàm late guttula olei, &c. vel in momento diffundatur, & quantum maſſula fæcis cereviſiæ fermentando ſuperfuſa cereviſiæ valeat: concipe animo ſolùm, quæſo te; guttulam milii grani magnitudine excrementitii humoris tertiæ concoctionis ſcorpii evibrari in cutem, naturaliter raram, & inſtar naſſæ piſcatoriæ foraminulentam hominis viventis, non inſtar Parii marmoris ſolidi, aut frigidi; an occultum, aut formæ potius morbum is producat, ubi ſanguinem ob ſal ſuum volatile fermentat & corrumpit? Manifeſta ergo qualitate non occulta corrumpit venenum ſcorpii corpus noſtrum.

§. 38. Concludo: ergo *omnia venena fermentando id agere, quod agunt, & quia ſale ſui generis volatili abundant, cæteris paribus, & cauſis adjuvantibus, non impeditis, ea & facilè dídi, & facilè penetrare in univerſum corpus humanum, in eoq; pro diverſitate partium affectarum, & ſubjectorum, diverſiſſimos, & admirandos ſæpe edere effectus.* Cujus rei ſanè duas egregias & ſingulares hiſtorias ex ANTONIO BENIVENIO & MARCELLO DONATO, de ſcorpii ictibus, cùm in commentariis ſuis retulerit, SENNERTUS *lib. VI. prax. part. 8. cap. 14. p. 338.* nolui citra neceſſitatem ullam, eas ex papyro in chartam tranſcribere, quò eam loco, neceſſariò ex GALENO huc accerſendo, ſervarem mundam, idque in gratiam eorum fiet, qui dubitant de rei veritate, etiamſi ſenſibus ipſis intervenientibus convincantur, [Sic Zeno motum negans à Diogene ambulante refutabatur] niſi per definitionem, & quidem eſſentialem ex cerebro, animoque illorum præconceptas opiniones

ejeceris. Audiamus ergo priùs GALENUM, & mox, quam desiderant, punctionis scorpii, & illius, quem infert, morbi essentialem causalemque dabo, simulque rationem probabilem afferam, cur procus ille Lubecensis acu solùm punctus tam gravissima, citra ullam veneni suspicionem, passus sit symptomata, quàm si, ut paulò ante docui à dracone marino fuisset punctus. Locus verò GALENI contra Herophil. & medicos de pulsibus disputantis hic est, qui extat lib. 4to de different. pulf. c. 2. p. m. 254. D. &c. *nihil opus esse*, inquit, *ad tradendas disciplinas definitione essentiali. Definitiones, quas vocant, notionis, his, qui jam rem cognoscunt, sunt supervacaneæ, ignorantibus non necessariæ, quæ doceri certè pluribus verbis possunt apertius. Nam sensum qui rei significatæ à vocabulo angusta potest & aperta oratione accuratè complecti Doctor sit hic quidem præstantissimus. Non tamen, qui abest ab illa perfectione, malus est: nec verò, qui minùs probè interpretatur. Nam ita apertè rem ob oculos ponere, ut Lysias, & Demosthenes Oratores fecerunt, primum sit. Non contemnendi sunt tamen, qui nunc in judiciis causas agunt. Equidem nihil obsisto illa facultate præditis, quin clarè simul, & compendiosè, quæ singulis nominibus denotantur, declarent ignorantibus. Quippe qui hoc videor ipse agere: sed quod inanem ibi laborem subeas, ubi omnes jam cognoscunt, quod instituis declarare. Omnino verò apud Tyrones cujusvis disciplinæ ne proferendæ quidem definitiones essentiales sunt. Verùm ubi ab notione exorsi, ad essentiæ eos notitiam deducamus, hic jam promptè, memoriæ gratia, rem universam limitata complecti oratione fuerit commmodum. Quare quicunque medici, & philosophi initiatis primum cujuspiam disciplinæ initium faciunt docendi ab essentialibus definitionibus, ut eloquentissimi sint, ut clarè interpretentur, obscuri evadunt tamen. Quæ assequi auditores, quæ amplam explanationem, quo intelligantur, quærunt, cum restrictis hæc definitionibus referuntur, nequeant. Longa enim oratione prius rei, qua de re agitur, aperienda essentia est: quò cognita jam & perspecta brevibus tandem verbis accipiatur. Hæc ergo, quia jure exprobro illis semper, qui definitionibus omnia docere conantur, huc exempli gratia veni: qui re ipsa declaravi multis locis, quodcunque quis ponat nomen, solidum librum esse faciendum, ut declaret, quomodo sit res, quæ ab illo significatur, definienda.* Hactenus GALENUS.

§. 39. Ego verò, licet ex antedictis abundè constet, de genio venenorum, & in specie de ictu scorpii qualem morbum inferat, non certè occultum aut formæ, attamen pertinaciter ultimò definitionem illius urgentibus, hanc vel illi similem veluti in manus trado, ex ipsius GALENI mente, & *primi m. m. cap. ultimi*, ultimis propemodum verbis, ubi dixit, morbum actioni officere, causam ipsum præcedere, symptoma eum sequi constructam. Est ergo hæc mea definitio, nempè: Ictus Scorpii est morbus solutæ unitatis, cum intemperie insigni, actiones maximè lædens, ortâ ex ea excremento tertiæ concoctionis scorpii, ζέσιν in sangvine humano excitante, unde ob subitam alterationem, massa sanguinis secundùm totam substantiam ità corrumpitur, ut

tur, ut

tur,ut cutis variis maculis, aliisque vitiis inquinetur. Ast exequias occultis morbis,si complures ejusmodi definitiones proferantur, quis dixerit? Non intercedo. Studendum ergo,excogitentur,& transacta erit fabula occultorum, aut potius formæ morborum. Maneo in terminis ne offendam Philosophos, defensuros occultas qualitates: sed linquam hæc; præsertim,cùm quis jam rationem ex me audire gestiat, ob quam sponsus ille Lubecensis acu minimè venenata punctus,similia sit passus symptomata,ac si punctus esset à Dracone marino: Quorum: ut ex recensitis circumstantiis, constat, nî fallor, unica & vera hæc causa est, quòd postquam, acus illa chalybæa Aquisgranensis in ossis metacarpii epiphysin valdè porosam, & medullosam, [ut ii solùm norunt, qui σκελετοποιΐαν docti sunt,]adeò profundè adacta sit in vivo corpore, ut eam perforarit ac perterebrarit,sanguinolentæ illius medullæ guttula una, itemque altera valdè præpinguis, exitum per periostii vulnusculum, quod acus acutissima ipsi inflixit,haud inveniens,ex læsa illa & perforata ossis epiphysi,in vivo corpore[studiosè illa repeto]sensim exsudans,non solùm ut pinguia,ac oleosa omnia ossibus ipsis periostio nudatis,sed quoq; nervis,tendonibus,membranis omnibus,adeoque ipsi periostio infestissima, & intensissima, omnia hæc vel singula prope dictum ἄρθρον digiti corrumpere aggressa sit: unde non dubia signa occultæ gangrænæ [ut aliàs differentiam ulcerosæ in Digressione hac mea locutus sum] in manu sponsi apparuerunt. Et huc usque ratione Ego penetrare possum,non ulteriùs; ut corruptionis modum adumbrem, quem sanguis partesque corporis nostri patiuntur,ubi quis vel mordetur à virulentis animalibus,vel ab iisdem, aut etiam acu minimè virulenta pungitur. Interim quantum est,quod nescimus. Hinc PLATO respiciens sortem nostram, teste LAERTIO lib. IX. in Pyrrho pag. mihi 677. C. *id quidem,quod verum sit Diis, Deorumq; filiis concedit*; *cæteroquin rationem probabilem perquirit.* Imò ipsus PLATO quoque in Sophist.p.m.149. E. *præstare*,ait, *in singulis rem ipsam cum rationibus, quàm nomen solùm absque ratione perspicere*, quæ utraque,de morbis formæ Fernelii agens, ego quoque considerare, volui. Restat,ut modum contagii,per quem, intervenientibus μιάσμασι καὶ ἀποῤῥοίαις, inficimur, tardam.

§. 40. Nemo autem hic à me exspectet,rogo,cùm ad alia properandum sit,nec digressio hæc modum excedat, hic loci quoque contagii definitionem tradam. Petatur ergo illa à FRACASTORIO,LIDDELIO,SENNERTO, vel aliis, a quibus lubet. Solùm scire sufficiat,quòd illa, per quæ contagium fit Græci: μίασματα, νοσερὰς ἀποκείσεις, ἀποῤῥοίας, imò σπέρματα; Latini verò: Inquinamenta, & semina,ac seminaria appellent. Hinc *incomparabilis* SENNERTUS *de Febrib. IV. cap. 3. p. 395.* rem quoque propemodum acu dum de causa contagii ita disserit,tetigisse videtur: *Sicut enim semen*,inquit, *è corpore vivente decisum animatum, specie simile illi, à quo decisum, producere potest: ita contagiosus humor, vel vapor* [Ego Sal

volatile dixerim] *è corpore infecto emissus, atque in aliud corpus receptus, similem illi morbum inducere potest. Habetque μίασμα hoc se instar fermenti* [quod maximè observetur velim] *quod alteri massæ non fermentatæ mistum, facit, ut & ipsa effervescat* Hactenus ille. Quæ ultima præceptoris olim mei verba, ex ipso fonte veritatis hausta, jam tertium in hac παρεκβάσει mea me confirmant, ut sciscam, corpuscula minima, & miasmata nos inficientia, salia esse volatilia, natura temperiei corporis humani inimica; Quippe sanguinem nostrum fermentant, visum effugientia.

§. 41. Hui, quid verbi audio? inquit Philalethes! Corpuscula esse, eaque invisibilia: atomos mihi quasdam Democriti fingere, aut magis cum Epicuro, Democriti in multis depravare sententiam videris, cùm non solùm instar Democriti hæc corpora fingas, sed quoque [cùm inter agens, & patiens contactus intercedat] iterùm fingas necesse est, cum Epicuro corpuscula hæc non solùm ad lineam suo deorsum pondere ferri, sed declinare perpaulum, atque ita effici complexiones, & copulationes, & adhæsiones atomorum inter se, & per consequens contagium. Ast cùm CICERO *de Finibus bon. & malis lib. I. p. m. 61.* nihil turpius esse Physico, asserat *quàm fieri sine causa, quidquam dicere*, imò loc. cit. utrumque, Democritum nempe ac Epicurum hoc nomine reprehendere videatur, quòd de materia disseruerint, vim ac causam efficiendi relinquentes; proin ne & meas quis commentitias & totas ut *Cicero* loquitur de Epicuri rationibus, pueriliter fictas appellet, quas de contagio, deinceps partim afferam, partim pridem attuli probabiles: Hinc oggannienti protervè hæc & similia, ita responsum volo: *Stare immotam sententiam; nempe μιάσματα esse invisibilia salia, aut, ut ita dicam, salina corpuscula contagiosa, seu quæ contagio nos inficere valent.*

§. 42. Certè rerum species, intentionales dictas, contagio nos afficere posse, nullo modo mihi persuadere possum. Hinc complures & Physici & Medici, vel halitu, vel vapore, vel fumo, aut similibus intervenientibus contagio afflari nos perhibent, & sic v. g. phthisicum, alium efficere; ophthalmiâ laborantem, alium; &c. vel ἀποῤῥοίας ex putridis putidis cadaveribus, itemque ex speluncis, & cavernis exhalantes, integras Regiones infestare posse, passim autores docent. Effectus ergo hi minimè negandi sunt, de causa verò disceptatur. Quod ergo illi vel halitum, vel vaporem, vel fumum, aut iis quid analogon *Seminarium* appellant, id mihi, ut proximam causam horum effectuum, & subjectum inhærentiæ malignitatis, aut contagii, & in specie Febrium petechialium tradam, liceat deinceps ἀποῤῥοίας ἁλμυρὰς appellare: halitum verò vel vaporem causam, sine qua non vel adjuvantem. Nam de fumo dispar est ratio. Poscis iterum smicroscopium KIRCHERI, ut salem istum in ἀποῤῥοίαις ἁλμυραῖς istis contempleris; non intercedo: concedat ille tibi eo ut utaris. Interim ipsissi-

ipsissimus KIRCHERUS, [proh qualem hic laudo, & incomparabilem opticum!] *Scrutin. sui Physico-Med. de Peste Sect. 1. cap. 8. p.* 81. fieri id posse his verbis negare videtur, inquiens: *est autem hic halitus nihil aliud, quàm evaporatio humoris putridi; evaporatio verò ex innumerabilibus, & insensibilibus corpusculis composita, ubi auram liberiorem invenerit, mox sese dilatando omnia circumsita virulenta contagii sui virtute inficit, &c.* Subdubito ergo merititissimò, num, subsidio tubi alicujus optici, cernere hunc salem possis, cùm Protheo sit mutabilior. Quippe, qui liquefit, aut funditur, modò iterum concrescit, & coagulatur, varios colores induens, ob quas in corpore humano circumstantias, aliter atque aliter, de sanguinis constitutione Chirurgi, longo usu & experientia id edocti, judicant: eumque bonum vel malum; fæculentum vel minus fæculentum; adustum vel minus adustum; crassum vel minus crassum &c. appellant. Ast si adeo crassus, aut talis est qualem GALENUS, post octo mensium menstruorum suppressionem non ignobili mulierculæ elicuit, venæ sectione interveniente, (*vid.* §. 80. *hujus meæ digressionis*) aut omninò fluxus non fit, sed quandoque blandè demulcendo lacertos, eum quasi emulgere cogantur nostrates Chirurgi, aiunt: die Aderen seyn verstopffet/ oder es ist ein sehr schweres / verbrantes / ungesundes verdorbenes Geblüt; hactenus qui traditus est, ex melancholia & pituita remistis, gigni, (*quod sanguinis residuum, ut* PLATO in Timæo loquitur. vid. infra §. 87. *propter caliditatem salso sapori misceri ait*) cum mea sit sententia, id potius, quò Plato respexit, procul dubio, salis copiæ aut abundantiæ, in sanguine contenti, sit tribuendum. Atque hinc Scorbuticorum sanguis, cum ut plurimum crassus sit, quandoque etiam satis dilutus appareat: Illorumque sanguis extra omnium Medicorum altercationes, multo sale fixo abundet, plus minus fluido, idem plerumque fæculentus audit, qui salsus, seu sale multo tartareo prægnans foret appellandus; unde scorbuticorum gingivæ, plerumque sordidis ulcusculis scatent fætente illorum anima; unde me & alios contagio suo inficere valent. Advertis jam ergò Philalethes, tàm scorbuticorum, quàm maligna febri laborantium sanguini, modo dictas Ἀποῤῥοίας ἁλμυρὰς seu effluvia ut seminaria salsuginosa aut salsa, non esse deneganda. Interim si quis probabiliorem melioremque rationem, quàm jam attuli de illorum sanguine, ob effectus quos cum salibus communes edit, afferet, ei lubens, veritatis amore, presso pollice cedam. Certus autem sum, *Præceptorem olim meum, Incomparabilem* SENNERTUM, mihi hodie grataturum, superstes si esset hoc nomine; nempe: quod ejusmodi contagionum, ex vitiosa constitutione corporum provenientium, causam proximam esse, sal volatile sui generis sciscam: præsertim, cum mihi ex Gallia An. 1630. in Germaniam reduci, in mea disputatione inaugurali, de Arthritide mensis Julii decimo die, ipso præside, habita, indulsit; *non jurarem in sua verba, seu Magistri, seu Præceptoris, sed posthabita ipsius authoritate, subsidio anatomes genium sequerer meum, in indagando loco affecto Arthriditis*; (vid.

(vid.etiam ſupra §.5tum) quo eodem ſubſidio, revelare *Medicinæ Candidatis*, cauſam proximam febrium malignarum, ſcorbuti, &c. ſimulque pandere ipſis, luis Venereæ præcipuos locos affectos eorumque texturam, ſtructuramve ipſius Naturæ ſolertiſſimæ ſtudio adornata in utroque ſexu volui, quo, non perfunctoriè iis partibus, unà cum Chirurgis mederi, ſed facilè eas conſolidare deinceps addiſcerent. Sed ad rem. Quippe laudatus meus Præceptor, in tractatu ſuo *de curatione infantum part.2,cap.32.pag.91.* cum paulo ante, ſagaciſſimè, in cauſas contagionum inquiſiviſſet, concludit haud facile inventu, earum veram unicam & proximam cauſam eſſe. Verba autem illius hæc ſunt: *Quæ autem ſit illa vitioſi corporis conſtitutio, è qua talia effluvia, quæ aliis corporibus nocent tranſitione exſpirant, explicare in mentis humanæ hac caligine impoſſibile eſt; interim effectus docet rem ita ſe habere. Et ſi nihil aliud, unicum peſtilens contagium ſatis docet, quanta & quam miranda effluxionum harum*(meo, ut innui, arbitratu ſalinarum appellandarum) *ſit potentia. Neque enim ad putredinem, & manifeſtas qualitates hic recurri poteſt.* (Ego verò recurro ad ſal volatile ſui generis, ſeu tota ſubſtantia homini nocens) *cum ultra manifeſtarum qualitatum vires hæc effluvia* (concedo totum argumentum) *agant, & in multis ea reperiantur, quæ nihil tale præſtant. Hactenus ille.*

§. 43. Regeris tamen, ſalem ejusmodi videri Ens rationis, quia in oculos incurrere poſſe pernegas. Bona verba quæſo! Committitur hic fallacia à dicto ſecundum quid, ad dictum ſimpliciter. Secundo conſequentia majoris falſa. Nam tertium datur; & quod viſu omnium quidem ſenſuum acutiſſimo & celerrimo percipere non poſſumus; illudne omnino in rerum Naturâ non dari, aut realiter non exiſtere exiſtimandum eſt? Nam propoſito in caſu, id vel alio aliquo ſenſu, imò ratione ipſa, ac experientia intervenientibus, aſſequi nos poſſe, nullus dubito. Quod hoc vel alio aliquo, aut ſimili exemplo ſatis vulgari, & obvio, citra contortulas cathedrarias concluſiunculas, ſineque petitione principii confirmari poteſt. Diſcumbant una in cænaculo convivæ aliquot, clauſis feneſtris, terſis, pellucidis, inferantur in illud, in prandium opiparum, & dubium, aliquot miſſus aut dapum ſtrues; & vix horæ quadrans abibit, quin advertas manifeſtimè ratione frigidioris, externi & liberi aëris, in cænaculo modò dicto, tam halitum convivarum, [ut de inſenſibili tranſpiratione, de qua SANCTORIUS videndus, ne verbum hic loci adferam] quàm nidorem ferculorum, ſed concluſo in cænaculo oberrantes, ad feneſtrarum rhombos vitreos condenſari, mox roſcidos eosdem conſpici, mox ſudare, mox ſudore quaſi ſtillare. Monſtra tu mihi in eo Sal volatile. Non potes, ſcio. Ab effectu verò de illius qualitatibus realibus, utrique noſtrum, ita decernere convenit, nempe rorem hunc feneſtrarum, Sale volatili minimè eſſe caſſum. Nam ſi eum illeveris ſerpiginibus, eo æquè ac muria butyri, vel vappeſcente, & corrupto vino iis medeberis. Cur? Salis eſt abſtergere, & qui ſerpiginibus medebitur,

debitur, eum id studere decet, ut abstergat per ῥυπτικὰ, quæ nitrosa. Ergo ratione salis, ros ille fenestratum serpiginibus medetur, necessariò in illo delitescentis.

§. 44. Qui verò μιάσματα Græcorum, apud Latinos *Seminaria* appellanda censent, jure meritoque id faciunt. Nam Sal volatile in multis una cum Sulphure, quæ difficulter ab invicem separari possunt, ut sub initio meæ hujus Digressionis traditum, & ex prioribus notum est, re vera seminaria sunt multarum qualitatum, à multis occultarum proprietatum nominatarum, quos *eruditissimus* FRACASTORIUS statim initio *Cap. 6. lib. 1 de Contagione fol.* 107. C. videtur albis deridere dentibus. Et nonne aqua pluvia ob Sal & Sulphur volatilia miracula edit. Qui sic, inquies? Ea enim vix aliquot septimanarum, & ne vix quidem; stagnorum autem pauculorum dierum spatio, atque adeò facile corrumpi & putrescere assolet. Qui ergo non miraculosam pluviam dicet, cùm occultas omnino possidere videatur qualitates? Minimè verò gentium possidet. Omne enim hoc, ut innui, Sali illius volatili tribuendum. Quod verò pluvia hoc seminario, sale nempe volatili, & præterea Sulphure ejusdem generis abundet, & præsertim vere in æstatem sese præcipitante largis imbribus; id, si non visu, at tactu, & olfactu intervenientibus, doceberis. Nam, si frequenter ea manus laveris, advertes non solùm longè ocyùs detergi earum sordes, quàm quavis obvia fluviatili, sed quoque cutem ipsam ita extergi, ut exasperetur. Imò, ubi imbres cadunt, hoc anni tempore, vel vulgus, gratum pluviæ odorem percipiens, in hæc erumpere verba assolet: Ach/ wie lieblich riechet der May-Regen. Ab effectu verò hujus seminarii [sic appello sal in pluvia volatile] ex vulgo & hæc audies: Der Regen ist nichts anders / dann Laub / und Graß. Quî verò pluvia participat Salem volatilem ignarus physices scientiæ inquiet? Sciat ergo is, id ideò usuvenire, quod Sol ex pubescentibus, ad herbescentibus, atque adeò tenellis plantis omnigenis, & ex terra ipsa, sale multo volatili tum temporis maximè prægnante, nutrimentum suum trahentibus, sal modò dictum, aut seminarium hoc fœcunditatis proliciat (quam quoque in Asiæ, Nili inundatio oppidò nitrosi; hîc in Europæ Regionibus verò stercoratio agrorum, & præsertim, quæ ex stercore ovillo instituitur, aut perficitur, promovent, augent, imò quasi absolvunt) quippe id Sal herbarum, ac ipsius terræ, una cum Sulphure, remiscetur pluviæ, unde gratum naribus illius odorem olfacimus, & ob eandem causam, salem nempe volatilem, frequentes imbres mens. Junio fertilitatem nobis portendunt, juxta πολυτρύλλητον illud:

Der Maymonat kühl/ der Brachmonat naß/ Füllen Boden und Faß.

Nihil verò hujus salis in oculos incurrit. Sed eo relicto, paucula quoque de

Sulphure esse addenda reor, maximè ad naturam contagii explicandam facien-
te. Quam verò causam aliam statuis, quòd gramina, herbæque pratorum de-
messa, quæ fœnum vocamus, gratum odorem spirent, quàm Sulphur? Quid
quod fœnum, sine ullo fomite ignito, in fœnilibus flammam concipere, eaque
exurere ingenti damno ruricularum quandoque hic in Europa contingat, æquè
ac, teste GALENO, ex stercoris columbini calore in Asia integra domus & in-
censa est, & penitus quoque conflagravit, ut mox audiemus. Sanè hic mani-
festus est sulphuris effectus, quem nemo negare potest; ac proin de cathedris
de eo non est disputandum, in quibus contentionibus summis sæpicule, sed in-
cassum, magna temporis pretiosissimi thesauri jactura defenditur cum Anaxa-
gora nivem esse nigram. Et huc usque ratione iterum prodire mihi, non ulte-
rius licet. Salem verò volatilem, pluviæ qui videre discupit, eum sibi, qui volet,
chymica arte comparare potest, & smicroscopio KIRCHERI non indigebit.
Atqui hæc præmittenda duxi prius, quam ad contagii modum abirem: Sed
eum potissimum docturus, per quem in febribus petechialibus inficimur. Nam
aliarum contagionum varii sunt modi, & ferè, quot homines, tot quoque super
iis sunt sententiæ. Mea autem, salvis aliorum punctis, hæc est:

§. 45. Contagium in febribus malignis, ac petechialibus fieri per in-
sensibilem cutis evaporationem, aut transpirationem, de qua Institutistas me-
dicinæ, & quidem Dunc. LIDELIUM *lib. 2. cap. 7. Art. medic. p. 96.* itemque SEN-
NERTUM *lib. 1. Institut. cap. 9. p. 98.* imò si quis velit, Sanct. SANCTORII Staticam
Medicinam integrâ, ceu ex instituto de ea agentis consulere potest, qui *Sect. I. apho-
rism. 4.* defendit: *Perspirationem insensibilem solam, solere esse longè pleniorem, quàm omnes
sensibiles simul unitas.* Idem *Aphor. VI.* docet: *Si cibus, & potus unius diei sit ponderis
octo librarum, transpirationem insensibilem ascendere solere ad quinque libras circiter.* Quàm
verò cutis sit porosa probatione nulla indiget; at quòd eadem ob naturalem
temperiem sit debilis, id præ cæteris, eruditissimè elegantissimis non solùm ra-
tionibus *Illustr.* HOFMANNUS *in Comment. Galen. de* U.P. *XIV. 7. num.* 1004. evin-
cit, nec non, quod eadem *luat peccata viscerum, omnis generis excrementa (quamdiu pol-
lent facultate expultrice) ad illam deponentium* sed quoque id *cap. sequent. IX. num.* 1010.
p. 316. *v.* 20. hac illius faceta historiola confirmari potest: *Non possum*, inquit,
*non meminisse heic jociserij, qui in pago proximo ante paucos annos accidit. Pater senex, &
scabiosus diligenter dehortabatur filiam petulcam, omitteret porrò ista. Quid fit? Captata oc-
casione hypocaustum illa egregiè calefacit, patremque jubet assidere fornaci. Ibi cùm miser fri-
caret se, incipit nequam filia dehortari senem à frictione, mentione doloris, qui secuturus esset.
Tum ille: vellem, si possem. Excipit hæc: & Ego vellem, si possem.* Hactenus HOFMAN-
NUS. Pro fundamento ergo, ad contagii naturam declarandam, habeo & ja-
cio: *Cutem esse porosam: Cutem excrementa viscerum temperie adhuc naturali, omni mo-
mento recipere.* Hinc multos plethoricos hircum olere cuivis notum; quo quo-
que ha-

que habitu fuisse parasitum quendam Gorgonium auguror, quem, Martialis simili venustate, hoc epigrammate ceu penicillo *Cognatus meus p. m.* MATTHÆUS CHYTRÆUS *inclytæ Reip. Bremensis olim Senator, ac* J.U.L. in oblectamentis suis metricis X. p. 26. nobis describit:

> *Me crebrò instanterque rogas, cur gratus amicis*
> *Sit tuus adventus jam minus atque minus?*
> *Te, neque dum visum, quoties clausa ostia pultas,*
> *Hircosus fœtor prodit adesse foris.*

Hæc ergo & similia si eveniant integra valetudine plethoricis, quid iisdem fiet, febri correptis quotusquisque est, qui hoc non perspicit? Hinc meritissimò CORNELIUS CELSUS de re medica II. c. 2. p. m. 74. *eos suspecta habere bona sua debere* præcipit: Quippe quos plerumque putridis dictis febribus corripi, experientia magistra, novimus.

§. 46. Corripitur ergo quis febri synocho, & omnia illa patiatur, quorum jam partim facta est mentio, partim verò adhuc fiet. Ultimò autem omnium symptomatum, maculis nempe, aut petechiis infestetur: quis dubitare potest, quin hæc mutata cutis qualitas non indicina sit pessimæ ac funestæ corruptionis, sanguine nempe seroque summè adustis, aut tota substantia corruptis? Apparentibus ergo maculis variorum colorum, febres aliàs simpliciter malignæ [ita ratiocinor, nec facilè frustrà ero] jam manifestò contagiosæ esse occipiunt, in vivo corpore jam se in conspectum dante sale volatili, quem non solùm macularum, sed quoque contagii in febribus petechialibus, lenticularibus, lue Ungarica unicam, & proximam causam esse statuo, idque ob sacram doctissimi Viri HIPPOCRATIS autoritatem, qui *suprà* §. 8. loco ex prisc. medicina laudato, omnem energiam Sali, ab humoribus sequestrato, in morbida corporis nostri constitutione optima ratione non tribuere solùm, sed largiri videtur. Tantum ergo abest, [ut paulò antè §. 42. innui] ut halitu, aut vapore nos infici dici queamus; cùm contrà Sal aptum natum sit, nos inficere, quod multis illustrari posset argumentis, sed unicum hoc sufficiat, quod quæcunque fermentant massam, Salem participent. Hinc *suprà* §. 40. Præceptor noster Celeberrimus SENNERTUS dicit: *μίασματα se instar fermenti habere, quòd alteri massæ non fermentatæ mistum facit, ut & ipsa effervescat.* Quare ejusmodi *contagionum seminaria*, Eruditissimus FRACASTORIUS de Contagione I. 7. fol. 109. C. *omnia acria per se esse*, docet, &c. quæ ut in animal penetrent, cùm accuratissimis his verbis tradidit, lubet in gratiam eorum, qui hoc Autore destituuntur, ea huc accersere: *Quod autem in animal penetrent* [nempe contagii seminaria] *& nonnulla citissimè, nemo mirari debet, si modum, quo ingrediuntur, consideret: ingrediuntur autem è parvis poris, & venis, & arteriis in majores, & ab his in alios, sæpe etiam usque ad cor.*

Unus

Unus penetrationis modus est per propagationem, & quasi sobolem: prima enim seminaria, quæ adhæserunt è vicinis humoribus, ad quos habent analogiam, consimilia sibi alia generant, & propagant, & hæc alia, donec tota humorum massa, & moles afficiatur. Alius modus est per attractionem, quæ intro fit, tum inspiratione per anhelitum, tum venarum dilatatione. Simul enim cum aëre, qui attrahitur, ingrediuntur commista contagionum seminaria quæ, ubi introducta sunt, non eadem facilitate regrediuntur per exspirationem, quæ ingressa per inspirationem fuere, quoniam agglutinantur humoribus, & membris, & nonnulla etiam spiritibus, qui contrarii speciem refugientes, secum & inimicum ad cor ferunt: non enim dicendum est (ut quidam ajunt) venena, & contagiones præcipuè cor petere, atque aggredi uti inimicum, quasi cognitio, & voluntas iis insint. Tardius autem penetrant, quæ per se minus acria sunt, aut in lentore multo sepulta, [hæc maximè observatione digna, cùm superius affirmârim, venenorum vim in salibus subsistere, eaque frænari, aut potius ζῶσιν illorum sisti per pinguia, ne corrumpere corpus nostrum possint] *& analogiam habentia ad crassiores humores, & quæ per venas trahuntur; celerius autem, quæ per anhelitum & quæ subtiliora sunt, & acrimoniæ majoris, ad spiritus autem analoga* [quæ salia sunt, ut ex fermenti, & fæcum cerevisiæ, aliisque effectibus ad nauseam usque demonstravi.] *Fortasse autem & alius est penetrationis modus. Omnis enim evaporatio de angusto in amplum facillimè diffunditur: quare, quum minores & angustiores sint venæ, quæ circa summa sunt, majores verò continuè, quà versus cor itur, inde fit, ut & contagio quàm facillimè ex angustis venis in amplas diffundatur, ubi etiam major est calor, atque ad cor etiam feratur, nisi quid obstet.* Hactenus FRACASTORIUS. Cui & in quibus consentiam, abundè ex prioribus constat. Heic illi assentior omnimodè, quòd *omnium contagionum seminaria acria per se esse* doceat; itemque quòd perneget, ea cordi potissimum esse infensa, *quasi venenis aut contagii seminariis cognitio, aut voluntas insit, ut cor præcipuè petant.* Perdoctè enim demonstrat [ignarus licèt sit circulationis sanguinis] ut ex accidenti venena & contagionum seminaria ad cor rapiantur, idque infestent.

§. 47. Sed ipsum actum contagii, cùm GALENUS noster, si quisquam alius, veluti ad oculum nobis demonstret, elegantissimis rationibus & exemplis; utique è re nostra erit, sine aliorum ingratiis ipsum audire, cujus hæc sunt ex *III. de Temper. cap. 4. pag. mihi 86. C. & D.* petita, ubi inquit: *Nihil autem miri est, si exiguum consecuta momentum, aliqua maximam à priore natura mutationem habent. Cernuntur enim ejusmodi multa in iis, quæ extra nos sunt. Siquidem in ea Mysia, quæ est Asiæ pars, domus hac aliquando ratione conflagravit. Erat projectum columbinum stercus, cui jam putri, & excalfacto, ac vaporem edenti, & tangentibus admodùm calido, in propinquo fenestra fuerat ità, ut jam contingeret ejus ligna, quæ largè nuper illita resina fuerant. Media igitur æstate, cùm sol plurimus incidisset, accendit tum resinam, tum ligna. Hinc autem & fores quædam aliæ, quæ prope fuerant, & fenestræ nuper etiam resina illitæ, facilè ignem conceperant, atque ad tectum usque submiserant. Ubi autem excepta semel à tecto est flamma, celeriter in totam domum est grassata. Hoc, arbitror, modo ajunt, & Archimedem*

triremes

triremes per pyritas, dictos lapides, incendisse. Porrò succenditur pyrite lapide promptè lana, stupa, ellychnium ferula: quicquid denique similiter his siccum, rarumque est. Hactenus GALENUS. Modus ergo contagii nobis jam manifestò est descriptus. Ut enim stercus columbinum omnia contactu, aut contagiò suorum insensibilium corpusculorum, aut atomorum minimarum, quæ flammam concipere potuerunt, funditus exussit; ita contagii seminaria in nobis morbidis, ex corrupto sangvine, ceu flamma ex stercore columbino producta, omnia ad corrumpendum apta, in corpore alio penitus corrumpunt. Quæ eadem seminaria, cùm cutis omne genus excrementorum naturaliter imbibit; unà cum aliis excrementis tertiæ concoctionis, ubi febri maligna laboramus, ad eam amandantur: quæ quoque vaporoso halitu ægrotantium omnium corporis partium, ceu vehiculo interveniente, vel eminus, vel cominus ita contagio suo aliud dispositum corpus inficere, aut quasi incendere possunt, ac stercus columbinum in Mysia Asiæ ædes incendit. Verùm, quemadmodum Sal, aut potius Sulphur stercoris columbini, tum demum incendii occasionem dederunt, ubi fermentata fuerunt, ut ex GALENI relatione constat. Sic tum demum Sal, Sulphurque sangvinis corporis nostri contagiosa fieri incipiunt, aut apta nata sunt alia corpora ejusdem speciei præsertim inficere, ubi volatilia existunt, & maculis cutem pingunt, aut uti paulò antè §. 45. Celeberrimus HOFMANNUS locutus est: *ubi eadem luit peccata viscerum*, febri maligna, ac petechiali laborantium: adversus quæ nemo, sit vel insigni tolutiloquentia, vel hiscere audebit, modò artis nostræ tyrocinia, ut convenit, quoque posuerit.

§. 48. Interim formæ ac occultis morbis addictus Medicinæ Candidatus nos adhuc urget, rationem expetens, cum ἀποῤῥοίαι ἁλμυραὶ, seu seminaria contagii salsa, & acria ita de subjecto in subjectum transeant, quî fiat, ut non omnes, quotquot ægro adstant simul petechiis inficiantur? Huic tale quid sciscitanti GALENUM *de caus. procatar.* esse evolvendum reor, qui *mihi pag.* 382. *B.* ipsum docebit: *contingere mille in theatro sedentibus, ut æstuent quatuor, & horum ipsorum unum aliquem febrire, & non omnes; sicut amicum suum Menandrum refert, pridie exiisse quidem à stadio post agonem dicentem, & caput dolere; parùm verò post febricitare incepisse. Nunc verò nihil tibi sit mirum* [non mea, sed GALENI ipsius sunt verba de Caus. Morbor. cap. 2. p. mihi 23. D.] *si unumquodque quod aliquid sit effecturum, & tempus, & magnitudinem exigat, ac prætereà, ut proximum sit, quod promptè patiendi habet naturam: quoniam & si hæc desunt nec ignis comburere, nec gladius abscindere*, Ego verò addo nec petechiis laborans alium inficere, *valet.* Atque hoc ipsum est, quod paulò antè, sed aliis verbis nos GALENUS docuit, nempe *succendi pyrite lapide promptè lanam, stupam, ellychnium, ferulam: quicquid denique similiter his siccum rarumque sit*, i. e. ut accipio & interpretor similiter sulphure abundat, ac recensita hæc omnia. Hoc enim nisi intimè foverent, nunquam possent exardescere. Næ ergo, ut compendifaciam,

ſexcenta alia, quæ aliàs ab aliis Autoribus, qui in peſtem commentati ſunt, in dubium vocari ſolent, jam affirmabimus: cum ſeminario contagii febri petechiali laborantis ita eſſe comparatum, quaſi cùm ex chalybe ſcintillas aliquot excuſſeris, quibus tamen omnibus non igneſcit univerſus fomes ilico, ſed punctulum ſolùm illius unum alterumve, aliis decem ſcintillis incaſſum intercidentibus: quarum tamen quædam ita præparant eundem, ut quo loci ad ſcintillas fovendas pridie, aut heri ineptus fuit, is hodie, vel poſtridie, tibi antelucanis ſtudiis dedito inſerviat ad lampadem ex eo ſuccendendam.

§. 49. Sed ut apertiùs adhuc contagii modus tibi innoteſcat, ac veluti in oculos is incurrat, id duæ candelæ accenſæ facient, quas ſinito, ut exardeant primulùm; poſt dein easdem accuratè emunge: conflagrent eæ tamdiu uſque dum iterata emunctione propemodum opus eſt, attamen ne fungus extremo ellychnio adnaſcatur, mox ſufflatis buccis impetuosè alterutrius candelæ flammam defla, fumante ellychnio, quam candelam, alteri flammanti ſubde, & ſine fumet ea, uſque dum coacti aeris motus, à flatu oris vel ab aliis cauſis concitati, quieſcant, ac fumans ellychnium, atomos ſuas ſalino-ſulphureas, ut ita dicam, à centro per rectam lineam ſurſum mittat, aut ellychnium liberè fumet; & de improviſo, jucundo mecaſtor ſpectaculo, contra naturam, candela ardens

—— —— lumen de ſuo lumine accendat, faciat
Ut nihilominus ipſi luceat, cùm illi accenderit

ut illa Ennii patris huc transferam. Nam illius flamma deorſum deſcendens, fumans ellychnium, & quidem non ſine leni crepitu, aut ſtrepitu [qui effectus ſalis ſunt, ubi ignis ei ſubditur] ilico accendit, veruntamen non vagante eadem, inſtar aëre ventilati errantis ignis eines Irrwiſches/ fomitem ſuum circumferentis; ſed flamma hæc, celerrimo motu deorſum lata, terminos aut lineas fumantis ellychnii, & ſuas atomos fumoſas ſurſum mittentis, nunquam excedit: nec unquam ulla candela, ultrà quam fumus ellychnii pertingit, accenditur: qui ſi non ſatis copioſus eſt, flamma ardentis candelæ lambi quidem ab eo, ſed minimè fumans ellychnium à flamma accendi cernitur. Ejusmodi ergo actum non impeditum, qui philoſophus es, animo concipe, ſecundum omnia requiſita ad contactum neceſſaria inter duo individua, alterum infectum, alterum inficiendum, & deſines obſtupeſcere, qui contagio, & quod maximè defendo per ἀπορροίας ἀλμυρὰς febri maligna laborantis infici queamus, licet non omnes inficiamur. Hinc præclarè ſanè Chæronenſis ille Philoſophus *de Sanitat. tuendâ pag. mihi* 127. *D.&c.* ſuper hac cauſa diſſerere videtur, pernegans id, (quod vult Heſiodus, nempe: omnes morbos nos invadere;) *ſed opus eſſe, ut externis cauſis atque principiis redundantia humorum in corpore veluti ſubſtantiam, & corpus ſuppeditet. Absque hac nihil mali cauſæ illæ inferunt, ſed elangueſcunt, diſſipanturque*

facilè

facilè sanguine tenero, & spiritu puro motum [quid quæso apertius dici, quid veritati ac rationi magis congruens proferri possit non video!] *excipiente: ubi autem redundantia humorum est, ibi velut canum quoddam exagitatur impurum, omniaque difficilia reddit & pertinacia.* Qui verò omnia hæc aut similia spreverit ultra modum sibi sapiens, gnarus ut Jupiter Junonem duxerit, eum jubebo, non versetur solùm in eodem triclinio, aut cubili potius, non horæ quadrantem, aut diem, sed biduum aut triduum, in quo petechiis obsitus Titus vel Sempronius decumbit; sed quoque propius ad illum, ceu ad ignem accedat, & quoque incalescet plùs satis, seu potius inficietur contagio. Etenim

Si non est hodie, cras (magis) *aptus erit*

ad seminaria contagii suscipienda, fovendaque. Verùm quò me non abduxit palpitatio ista cutis, seu pelliculæ Bufonis, quam in corpore humano ἴππον esse appellandum superiùs §. 20. arbitratus sum. Jam ergo cùm contagionis quoque modus sese quasi in omnium oculos ingerat, quem §. 31. morbis formæ addictus doceri volebat; nunc, quæ restant de Bufone picato dicenda, subtexenda sunt.

§. 50, Moneo ergo hic loci, ne frustrà quis sit, cùm pix Norwagica ex accidenti solùm, uti hariolor, Bufoni venenum sit; non omni anni tempore, neu toto die, neu quovis cœlo eum liquida pice, aut auxungia Norwagica picatum è medio tolli, cujus rei, & experimenti testes præclaræ Eruditionis Medicinæ Candidatos habeo, quos honoris causa hic nomino, DN. OLAUM BORRICHIUM, DN. FRIDERICUM Hammerich/DN. VALENTINUM CASPARUM RUPITIUM. Nam observavimus Junio, & Julio mensibus cœlo æstuoso, medio meridie, aut non longè post, Sole ardente, ipsoque actu torrente, & exsiccante illitam dorso Rubetæ axungiam, & corripi eam, paulò altiùs §. 21. & §. 30. recensitis symptomatis, & intra dimidium horæ quadrantis spatium certò emori: aliis verò anni aut diei temporibus naturaliter constitutis, non item. Quin & aliis intervenientibus circumstantiis v. g. pridie aut heri si largi imbres ceciderint, solò aut terra adhuc madente, picata licet pingviter Rubeta sit, raro aut certè non tam subitò, ut jam retuli, fatiscet. Quibus autem ex Medicinæ Candidatis volupe ac animus est, sagaciter in veneni, vel potius quasi veneni qualitatem, picis nempe liquidæ naturam & indolem indagare, quo non ilico ad asylum illud, occultas nimirum qualitates confugiant, ii quoque [quod sanè mirandum] dum ante pedes subsilientes rubetas vident, observabunt, eas simul ac tactæ sunt picæ præter recensita symptomata, & hæc horrenda sanè, pati, vomituriunt nempe, & ut vomitum promoveant cernent easdem priores suos pedes, aliàs illis manuum loco inservientes, quousque possunt profundè in rictum intrudere, unguiculis verò linguam scabere, ac scalpere. Imò semel atque ite-

rum visæ sunt, vel ipsum cor, vel ventriculum, vel lingvam [licèt me non fugiat ARISTOTELEM *Histor. Animal. IV. c. 9. p. m. 510. G. &c.* docere, Ranis esse lingvam sui generis, ejusdemque partem primam, quæ cæteris absoluta est, cohærere] vel denique, quod maximè credibile, caput asperæ arteriæ oculis contortis ac rubentibus eructâsse. Quippe vel omnibus, vel singulis hisce quippiam analogon, ex ore rubetæ pendulum oculis observavimus quidem, sed accuratius formidine contagii contemplari noluimus. Gallum autem gallinaceum, cristatam lucis istam avem asperæ arteriæ caput aliquando inter rostrum pendulum eructasse, quasi inversum, hujus exemplum annotabit Celeberrimus noster BARTHOLINUS *Centur. V. Anatom. Observat.* Aliàs rubetas picatas, virus virulentissimum instar urinæ fluidum excernere videbis, dubio procul peculiari capsula, aut vasculo, ceu Zibeta felis Zibethiferæ, contentum; cladem que suam ololygine, voce ranis propria [quam tantum, teste ARISTOTELE, *οἱ βάτραχοι οἱ ἄῤῥενες ποιοῦσιν ὅταν ἀνακαλῶνται τὰς θηλείας πρὸς τὴν ὀχείαν*] edita, contestantes, mox animam efflaturas audies. Næ ergo jam exemplo Rubetæ demonstratum est, non solùm palpitare illius pelliculam ob sive turbatam, sive interceptam sanguinis circulationem, sed quoque ob eandem causam Rubetam durissima quæque perpeti, imò neci dari, & quidem à simplici pice, homini salubri, & minimè noxio medicamento, solùm illius dorso illito? Quis enim non novit contra porriginem fœdam, ac quamcunque scabiem, serpiginem denique, vulgus pice sese inungere felicissimo successu? Atqui jam studium meum non defuit Philiatris, quod superiùs in me requirere videbantur, ut causam ipsos docerem τοῦ ἵππου δέρματος, quamvis id demonstratu erat difficillimum, nec sine multis ambagibus obtineri à me potuit, quò ad metam propositam pervenirem. Hoc ergo loco receptui jam cano, ut nomen quoque alterum seu posterius expugnam; vid. supra §. 19. de alio adhuc symptomate praxin medicam ex voto exercitaturis summopere considerando, verba facturus.

§. 51. Pertinet verò id ad qualitates Corporis mutatas, & est, quod in febribus malignis ante eruptionem macularum minutularum, seu lenticularum illarum, nonnunquam, non dico semper, advertas febricitantium manus longè ultra carpum, vel pedes longè ultra malleolum, vel utraque, alieno & toti corpori dissimili aut diverso, momentaneo ac fugaci colore colorari. Quandoque verò manifestò rubere, ac illi ægri tunc temporis de ingenti extremorum calore, frigidam, vel crystallum aliquam poscentes, conqueruntur, licet alias totum corpus tactu exploratum, non æstuet insigniter: quod sanè signum θανατῶδες est; seu ut GALENUS id accipit, aut *Idem apud Hippocratem* interpretatur & exponit *VI. aphor. 18. p. m. 178. A.* competit iis, qui ex necessitate sunt morituri, sæpe etiam iis, qui magna ex parte. Hinc ipsus quoque HIPPOCRATES *in Coac. pranot. text. 63.* inquit: τὰ ἐν χερσὶ καὶ ποσὶν ἐρυθήματα, ὀλέθρια, i. e. manuum ac pe-

ac pedum *in febre acuta* rubores, funesti, ex interpretatione DURETI; ex FOESII verò: manuum ac pedum *tumores* cum rubore perniciem denuntiant. Ast pace posterioris manium, prior horum longè accuratius rem acu. Nam in modo recensito qualitatis mutatæ symptomate, omnis tumor abest, ac solùm, ut dixi, ægri de insigni calore manuum pedumve conqueruntur, non solliciti de rubore, quem & ipsi Medici fugiente oculo respiciunt, quod minimè ipsos deceret. Et quando in consultationibus medicis, sæpè dum æger lethaliter decumbit, hujus symptomatis fit mentio? Verùm qui cùm ejusmodi febribus conflictantur [memineris velim Juvenis illius pone Basilicam habitantis, cujusque pedes insigniter rubebant, sexto morbi die mortui §. 13.] iis si convalescunt, epidermis instar senectæ serpentum excoriatur, ceu accidere quoque, erysipelate evanescente, assolet: De quo, mihi rectissimè decernere ii videntur, qui defendunt, nunquam malignitate id carere. Quippe, perperam si ei medeantur Medicastræ, perfacilè id gangræna sæpè incurabilis insequitur.

§. 52. Sed sæviat adhuc magis calor ac febrilis æstus in illorum artubus, viresque acquirat, tum bidui aut tridui spatio, febricitantium manus, citra ullam aliam manifestam causam, tanta atrophia consumuntur, quanta solet comparere in illorum manibus, qui aut phthisi aut hectica febri diutine contabuerunt. Immo, quod maximoperè notandum, cernes in iis metacarpii ossa [metapedii ossibus idem usuvenit] hiscere, aut quasi dolabra leviter in supercilium curvata, exsculptam eorum esse carnem, eo nimirum loci, ubi interossei musculi manuum, digitos adducentes abducentesque spatia inania replent, & dicta ossa arctissimè investiunt, stipantque ad latera eorum siti. Eos verò quibus dicto modo hi manuum, pedumve musculi tabefiunt: rarenter convalescere observabis; quamvis quandoque adhuc aliqui eorum convalescant, attamen potissimùm ii, quibus extremi hi artus insigniter non decolorantur ita ut liveant, luridi, helvi, gilvi, fœdique compareant. Cujus rei hanc do rationem, sequutus *Eruditissimi* SPIGELII vestigia nempe: *complures ac luculentiores circa extremas partes venarum ac arteriarum anastomoses esse solere, tanquam in partibus remotis à fonte caloris, & quæ propterea sanguine cal diore spirituosoque indigebant.* Atque hinc *fieri, ut sangvis, qui ex manu evacuatur, multò sit pulchrior, & rubicundior, quàm ille, qui ex brachio, quòd semper arteriosus hic simul evacuetur.* Vid. SPIGELIUM *de hum. corpor. fabrica V. c.7.p.mihi* 171. quarum ἀναστομώσεων beneficio, naturaliter admiranda illa circulatio sangvinis obitur, ut nuperorum ac recentiorum Autorum, qui de circulatione sangvinis commentati sunt, studium & αὐτοψία nos docent: quam si CICERO suis usurpasset oculis, proh! ut ille elogiis suis illam extulisset; qui receptam à veteribus iisque notam vulgarem ἀνάδοσιν sangvinis, his elegantissimis verbis, *de Natur. Deor. lib. II. pag. mihi* 324. C. describit: *Sangvis per venas in omne corpus diffunditur, & spiritus per arterias. Utræque autem crebræ multæque toto*

corpore intextæ vim quandam incredibilem artificiosi operis, divinique testantur. Quod si ergo Circulatio hæc, reverà artificiosum, divinumque opus, impediatur in his extremitatibus, à præternaturali febrili calore, veluti excocto, fibroso, lentoque reddito sangvine, strigmentorum olei simili; qui non

Ut capiunt vitium nî moveantur aquæ

ita ipsus quoque sanguinis, in corpore humano, tota substantia corrumpetur, cùm vel in paludosis locis, in stagnis, in piscinis, aut ad margines scaturiginum vivorum fontium, modò virides, imò gramine viridiores, modò nigras, modò rubras & bolum Armenam; modo ferrugineas & ferruginem; modò luteas & ochram repræsentantes, æmulantesque aquas seu colligi, seu corrumpi toto anno, omni die quidem, maximè tamen æstate observemus. Frequentissimè autem omnium paludes & suggrundiis aut stillicidiis subjectæ ædium ligneæ partes, aut parietes intergerini, calce incrustati, virescunt ob pluviam sale volatili graminum & similium herbarum Solis calore prolecto abundantem; sed & cæterarum corruptarum aquarum eadem est ratio. A sale enim volatili terræ [qui ei non est denegandus, ut ex superioribus constat] sed jam à calore Solis in paludibus corrupto, variatim tinguntur, mentientes quasi & falsò repræsentantes ferruginem, bolum Armenam, ochram. Næ ergo quoque in vivo corpore maligna febri laborantium vitiosissimus ille, & corruptissimus sangvis livens apparebit, deperdito suo roseo colore & naturali pulchritudine carens, & qui non idem necessariò nitorem cutis in extremis manibus pedibusve fœdè fœdabit? Cujus rei illustre exemplum nobis sufficiet, consequens historia: Anni exacti sunt quasi septem, cùm mensis Februarii die XVII. armamentariæ rei peritissimus Iuvenis in paternis ædibus non quidem petechiis corriperetur [à quibus famulus convaluerat] sed malignissima febre, cui dictum in modum ceu scalpro, seu dolabra quasi exsculpti erant manuum pedumque interossei musculi, extremis non frigentibus; sed cui manus pedesque ita adurebantur [rarum visu exemplum] p.n. febrili calore, quoad tactum attamen moderato & naturali; pulsu apparenter bono, sed justò tardiori; ut utraque & præsertim manus, unctuoso maderent sudore. Cutis verò ultra carpum & malleolum spatio XXIV. horarum, & totidem ante obitum seu XLVIII. horis obiit autem XXIIII. ejusdem mensis] adeò sensim adurebatur, & similem illi colorem repræsentabat, quo solet suilla veru aptata conspici, dum ad prunas versatur, liquescente jam pingvedine: seu illius manus pedesve, adeo læves erant, & simili colore infecti, quàm ubi, ut cum PERSIO loquar,

Fœnisecæ crasso vitiarunt unguine pultes

Tanta quippe & insignis hîc efflorescebat *sanguinis corruptio, adeò ut redire amplius ad habitum naturalem non potuerit; imò tam insignem corruptionem habuit, ut ad naturæ*

contra-

contrarium, eversionem pervenerit, &c. ut GALENUS loco §. 6. citato loquitur. Hinc iterum HIPPOCRATES noster *in Coac. prænot. text.* 72. secundum *Duretum* dicit: τὰ πελιδνὰ γινόμενα ἐν πυρετῷ σύντομον θάνατον σημαίνει, i.e. *Quæ livent in febre, mortem significant brevi venturam:* Seu ut FOESIUS vertit: *ubi livores in febre fiunt, propè adfore mors significatur.* In quem locum, proh! quàm eruditè, semper singulari reverentia omnibus Medicinæ Candidatis colendus, *admirandus* DURETUS est commentatus! ubi, postquam disseruit de livore digitorum ac ungvium, cujus mentionem facit HIPPOCRATES 2. *Prænot. text.* 9. itemque *in Coac. prænot. text.* 493. secundum FOESIUM, hæc nos docet: *Ad hæc* inquit, *si eidem livent digiti atque ungues ex illo tum decidit omnis spes medici; immò* προσδόκιμος ὁ θάνατος αὐτίκα, i. e. *citò mors venit expectanda, ut ait 2do prog. Quoniam livor ille partium extimarum, nihil superesse arguit reliquiarum nectaris vivifici in corde ipso.* [Sunt sanè emphatica verba *incomparabilis* DURETI ad institutum meum maximè facientia; Vid. quoque Eundem in Coacis Prænot. lib. 3. tract. 1. text. 4. & 5. p. 394 & 395.] *Ac sanè livor* [quem colorem paulò ante nomine luridi, helvi, gilvi, fœdique complexus sum, cùm vix HOFMANNO & GALENO ipso testibus, describi queat, ut mox audiemus] *tam malè audit, ut semper extinctionem, vel interceptionem spiritus ac caloris vitalis denuntiet: idem verò de nigrore semper suspicari non liceat; quia sæpe numero talis apparet in extimis partibus, prolapsu materiæ morbificæ per abscessum, qui levationem si adferat; superstites manent ægri* [quod maximoperè in praxi observandum] *sola pars excidit, quæ nigrorem conceperat. Itaque verissimum illud est.* Nigri omnino digiti, minus sunt mortiferi, lividis: *ut verè illud videar esse dicturus; partes extimas non raro nigrescere per transitum:*] quæ verba novæ digressioni hîc loci fores panderent, sed coërcebo me intra limites] *semper autem livescere per progressum, nec unquam abscessus opinionem adferri.* Hactenus DURETUS, qui textu paulò antè citato, & hæc habet: *Ungues livent ac digiti non quidem livore, quem infert* ἐκχύμωσις ἢ ναυσίωσις, i. e. *expressio sanguinis è venula nauseabunda in cutim, qualis apparet in oculis sugillatis, & calce perfracto; sed ita liveant, quia perfrigerati: perfrigerantur, emortui; emoriuntur autem, per extinctionem vivacitatis in vitali principio,* [pro! quam emphatica iterum verba in paradoxo hoc meo utramque quasi paginam absolventia!] *& paupertatem extremam vivifici nectaris, à corde exhausto. Quæ livoris ratio adduxit Hippocratem, ut ratum esse voluerit persuasumque omnibus, non raro in nigris digitis, minùs quàm in lividis, periculo locum esse: quia sæpè illi nigrescunt* διὰ τὴν ἐκχύμωσιν, *quam sanat amputatio: semper autem livent,* διὰ τὴν νέκρωσιν, i.e. *extincto calore vitali, cujus extinctio est irreparabilis; quoniam à privatione habitus denuo comparari non potest*, &c. Hactenus incomparabilis DURETUS, quasi verbo dixisset: gangræna occulta infestari eas partes, quæ livent; & hæc omnia, à DURETO monitus, in praxi medica, omnimode vera & reapse sese ita habere comperi: PLATO verò *in Timæo*, [arrige aures Philalethes!] hæc usu venire *pag. mihi* 548. *E.* dicit: ὅταν γὰρ τηκομένη σὰρξ ἀνάπαλιν εἰς τὰς φλέβας τὴν τηκεδόνα ἐξίῃ &c.

i. e.

i. e. MARSILIO FICINO interprete: *quoties eliquata caro tabem transmittit in venas*, &c. Unde quoque hæc similisque corruptio sanguinis, funesta & lethalis fuit patri desideratissimo unico filio, cujus hic memini; ichoroso nempe hoc sangvine per circulationem sanguinis ad cor delato, maximè cum manus illius non frigerent nec ἀσφυξίᾳ laborarent. Qualis ergo gangræna ulcerosa & manifesta laborantium sangvis apparere assolet; talem in occulta hac [liceat mihi ita appellare eam ad differentiam exulceratæ] manuum pedumve gangræna, febri maligna laborantium, sangvinem esse, animo concipiendum omninò mihi persuadeo; Quam verò occultam appello gangrænam, eam GV. FAB. HILDANUS *libr. de Gangr. & Sphacelo cap. IV. pag. mihi 775. A.* videtur in specie appellare: gangrænam siccam, licet istic loci solius causæ, non verò symptomatis insequentis, seu qualitatis mutatæ mentionem faciat. In gangræna verò ichorosus & siccus sangvis pessimus est; ast ubi purulentus se in conspectum dat, animo exultant Chirurgi, certa spe ægros erigentes, ceu recuperandæ valetudinis indicina optima subluceat. Quippe illa purulentia τεκμήριον est sangvinem usque adeò non esse corruptum, quin pravitas illius vel à Natura, vel arte corrigi queat.

§. 53. Verùm cùm paulò antè HOFMANNUM & ipsum GALENUM, testes meæ assertionis, de qualitate cutis mutata citarim, usus jam erit, eos hîc loci introducere, hac tamen cum exceptione, quòd, quam ego & quidem in manibus pedibusve malignè febricitantium accuratiùs jam descripserim sangvinis corruptionem aut livorem, seu qualitatem mutatam, ille post SCHERBIUM doceat, eandem in facie quorundam, etiam febri maligna non laborantium apparere; Ego autem addo: imò in universo corpore, & quidem citra manifestam febrim, v. g. in marasmo seu marcore senili. Sed auscultemus HOFMANNUM dum *lib. 3tio Institut. Medic. cap. LVII.* §. 2. *pag. mihi* 380. ita loquitur: *Hoc loco observandum est, quod de colore dictum est.* GALENUS *enim loc. c.* [locus est lib. V. de L. A. cap. 7. p. m. 131. A.] *docet, & diligenter inculcabat nobis Scherbius*, ὁ δαιμόνιος, *in affectibus hepatis & lienis sæpè maximoperè nos juvare inspectionem faciei: sed esse tale*, [observent hoc Medicinæ Candidati pervelim] *quale vix describi possit* [GALENUS *l. c.* appellat ineffabiles colorum proprietates] *experientia proinde discendum. Hoc in pulmonum quoque affectibus esse, dicebat Ille: quin cordis etiam esse, non dubito.* Hactenus *Eruditissimus* HOFMANNUS, cui omnino consentio, quod velit livorem, aut faciei solius mutatam qualitatem ἄῤῥητον gigni, non solùm, ubi hepar, lien, pulmo malè habeant, sed ipsum quoq; cor. Et hic ipse est color, aut illi persimilis est, qui in facie, imò vel toto corporis habitu sexagenariorum, septuagenariorum, aut illis ætate adhuc majorum quoque solet apparere, *dum marasmo senii*, ut GALENUS *m. m. VII. 6. p.* 178. *D.* cum Philippo loquitur, laborant: [cujus iterum sub finem hujus commentarii, mentionem faciam.] Quem ibidem ideo, quod *cor ipsum illorum afficiatur* [quod summoperè notandum] docet *brevi mortem afferre.*

Hinc in inferiori Saxonia, aut Germania, ubi senem capularem conspicimus, vel faciem, vel totum corpus livere, dicimus: **Hee sunt so gräseren uth/hee heft de Doot Farfve all gesettet/de Doot sit em al up der Lippen;** Quod GALENI effatum Viros celeberrimos p. m. JACOBUM FABRICIUM Socerum, HERMANNUM SCUCKMANNUM Seniorem, denique HERMANNUM WESTHOVIUM viros nemini ignotos, omnes verò sexagenarios, conjunctissimè, imò sexagenariis majores, morte confirmasse complures mecum, qui cum illis aut amicissimè vixere, vel recordabuntur, vel attestari possunt. Quippe qui annum aut biennium ante obitum cute rugosa laxaque pallentes, liventesque conspiciebantur, ceu apricationi diutinæ fuissent expositi; Atque ob eandem causam, nempe corruptum sangvinem, incredibili, aut intolerabili solis æstu, pravissimaque diæta intervenientibus longè verosimilius est, livere ex Asia, Africa, & America reduces Europæos, quia rarò supersunt hîc in Europa: quàm quod credantur, solùm, cutem tenus, ii infici, visceribus sangvineque illorum bene habentibus? Singulare verò recensiti symptomatis seu qualitatis mutatæ, in praxi medica oppidò considerabilis, exemplum, nec sine lachrymis mihi recensendum, nisi rationi DEOq; parendum esset, FABRICIA mea, eheu! olim mea [graviter interim, constanterque à Sulpitio Ethnico dictum: *nullum dolorem esse, quem non longinquitas temporum minuat atque molliat*] sufficit. Illa quippe ἐν γαστρὶ ἔχουσα mense Februario Anni M. DC. LVI. ad textorem abiit, ut telam pro stamine duceret: qui cum ad proximum Divi CHRISTIANI IV. portum habitaret, accidit, ut, dum super ponte præligni illo versatili & sublicio pergeret, glacie obducto & lubrico, Illa laberetur attonita: Quæ à textore domum reversa, conquesta quidem de lumborum doloribus sacrique ossis, ea parte, qua per synchondrosin id ossi innominato jungitur; sed ii, DEO benedicente convenientibus medicamentis & præsertim emplastro meo seu anodino, seu nervino [cujus descriptionem ob vitæ meæ *summam brevem* lubens publici juris feci, hoc ipso in commentario §. nempe 62.] ita mitigabantur, nulla suspicio ullius sontici mali ut superesset. Et belle illa valere quidem toto graviditatis tempore, nisi quod quandoque, cum surgeret, solita confidere in hemicyclo plicatili, gravidis commodo, de lumborum doloribus conqueretur; quos Illa imperterriti ac constantis animi spernebat, aut certè cùm quindecim vicibus, singulari DEI benedictione interveniente, Me ultimum, Paullinæ prosapiæ Sverino oriundæ Paullinum Nepotem, pulchra prole Parentem fecisset ceu sibi aliisque gravidis aut πολυτόκοις consvetos facilè perferebat ac patiebatur, Attamen eadem à me ipso, filiis natu majoribus, cæteris domesticis, aliisque ipsi familiaribus Matronis observata est livere, **oder war gar bleichgelb/ und gräseren:** appropinquante verò partu leniter subinde, aut per intervalla, citra manifestam febrem horrens, occepit de torpore stuporeque crurum conqueri, cæteroquin, ut retuli, malè non habens. Quin & illa ipsa, pro ea pru-

dentia, qua sexum superabat, mirata causam est, cur licet sæpicule decies aut vicies, unius diei spatio manus lavaret, eæ nihilominus de improviso iterum sibi quasi sordescerent; cùm verò eadem urgentibus partus doloribus, eniti non posset, ut solita erat: fari illa ac dicere: [ut ab adstantibus mihi relatum est] qui fit per DEUM immortalem, qui fit, ut Ego tot, tot liberorum mater, nunquam adeò, ne quidem primipara tam inepta fuerim ad pariendum, quàm persentisco me hac vice esse; unde etiam Naturæ cessit desideratissima Conjux. Cæterùm cùm memoriam subeat insignis illa observatio, quam recenset GUIL. FABR. HILDANUS *de Gangr. & Sphacelo cap. IV. p. mihi 775. b.* integram illam ideo hic loci inseram quò febrium cum malignarum, tum petechialium, hactenus intricatissima doctrina utrisque his sive exemplis, sive observationibus illustretur. Observatio autem HILDANI hæc est: *Quidam alioquin bono temperamento praditus, & ætate integra, incidit in Gangrænam utriusque tibiæ, latente causa, nisi quod antea tibiæ, & pedes assiduè frigebant, ingravescebant, & quasi stupore tenebantur. Ut ut sit illi supervenit Gangræna, nulla præcedente febri, aut causa externa: ita paulo post obiit, oborto ad usque genua Sphacelo. Aperto cadavere invenimus tumorem scirrhosum circa venam cavam descendentem, nempe intra renes, ubi hæc vena ad utramque tibiam bifurcatur. Scirrhus in magnitudinem auctus, ita constrinxerat venam cavam & arteriam descendentes, ut nullus sanguis ad crura nutrienda & vivificanda permeare posset.* Hæc ille. Hanc verò observationem ubi excutio accuratiùs, perpendens bono temperamento præditum, ætate integra, citra febrim, aut causam externam incidisse in gangrænam utriusque tibiæ, latente causa, &c. nisi quod antea tibiæ & pedes assiduè frigebant, & quasi stupore tenebantur, &c. Devenio in hanc sententiam [cùm postea addat HILDANUS aperto cadavere inventum fuisse tumorem scirrhosum circa venam cavam descendentem, eumque constrinxisse venam cavam & arteriam, ut nullus sanguis ad crura nutrienda & vivificanda permeare posset; licet castissimæ meæ Penelopæ extremos artus perfecta gangræna non obsederit neu signa illius manifesta [manifestæ dico gangrænæ] in ea apparuerint, ut sciscam tamen, salvis aliorum calculis, universum sangvinem floridum ita sensim graviditatis tempore post lapsum illum à Februario CIƆ IƆC LVI. scilicet usque in Octobris ferè ultimum fuisse corruptum, ut ichoroso & gangrænoso sangvini fuerit simillimus. Unde seu lividus ille color seu ἄῤῥητος illa mutata cutis qualitas in ea subsequuta sunt.

§. 54. Sed dubitas hîc, Philalethes, de causæ veritate, & illius consequentia ceu quæ non visa est febricitare, ac proin pernegas idem accidere ei potuisse, quod solet accidere febribus malignis laborantibus, licet superiùs ostenderim, liventes artus mortem portendere. Ad quæ directè nondum respondeo. Sit. Sufficiat, quod negari non possit; omnem lividum p. n. corporis colorem, juvenum, senum, in illo tertio convenire, quod à corruptissimo san-

gvine

gvine sive cum, sive sine febri necessariò proveniat. Ratio, quia gangrænæ ille aliàs proprius, ut ex *Eruditissimo* DURETO superius demonstratum est, ut ex illius verbis infertur. Hinc Chirurgorum inter Germanos Coriphæus; ut alios omnes taceam, *lib. citat. cap. VII. pag. m.* 778.*b.* G. FAB. HILDANUS eruditè quoque de Gangrænæ signis hunc in modum disserit: *Signa autem Gangrænæ ex inflammatione, sive intemperie calida sunt hæc: dolor pulsans, qui præcessit cum inflammatione, multò remissior est; mutaturque rubicundus inflammationis color in pallidum, fuscum & livescentem*, &c. Assero ergo conjugem charissimam p.m. ob livorem, qui in illa apparuit, Gangræna occulta laborasse, cujus causa fuit lapsus ille funestus & fonticus, in quo dubio procul, particula ossis illius sacri fuit contusa, præ aliis totius corporis rari, porosi, foraminulenti, spongiosi, imò naturaliter instar epiphyseωn cruenti, sangvinolenti, ac medullosi, ita ut ob hanc rationem meritissimò id, epiphysis vertebrarum aut ossium spinalis medullæ dici vel posset, vel deberet, quamvis non conferveant, ut CELSI vocabulum hic usurpem, sed solùm contigua non continua sint, cartilaginem intermediam si dempseris. Certè ob hanc rationem, quod nempe os sacrum unicuique nostrum præ aliquam multis aliis ossibus imò omnibus totius corporis sangvinolentissimum sit, Gangrænæ & sphacelo maximè obnoxium est; & næ hinc quoque scilicet quod epiphyses ossium sanguinolentæ ac peculiari & proprio modo medullosæ, ac præpingves sint, accidit, ut, ubi in extremis ossibus, v.g. ad malleolum tibiæ, aut fibulæ fracturam quis patitur, aut cui dicto loco os fractum est, is longè sævioribus symptomatis, vel statim Gangrænam minitantibus, vel spatio bidui aut tridui ipsam Gangrænam inducentibus infestetur, quàm si media tibia frangatur? Sanè ita ratiocinor: maximè cùm notum pingvia, & unctuosa naturaliter ligamentis ac tendonibus bellum indixisse, quæ epiphysibus an-nascuntur aut firmiter adhærescunt: probabiliter ergo defendi posse arbitror, ideò tantò facilius Gangrænam infestare epiphyses, & iis similia ossa, v.g. os sacrum, quantò pingviora & medullosiora aliis ossibus sunt; licet alia excavata, v.g. femoris aut tibiæ longè majorem copiam medullæ continere appareant, quæ tamen minimè ceu epiphyses effractæ ea stillare quasi guttatim queant; solida quippe ea, non porosa instar pumicis aut spongiæ sunt. Contusis enim epiphysibus aut iis effractis [ossis calcis, aut calcanei, itemque carpi metacarpii, nec non pedii ac metapedii ossium eadem est ratio] aliter fieri non potest in vivo corpore, quin medullosa eorum substantia & effluat, & corrumpatur, quàm corruptam imbibere ligamenta, tendones, venæ, arteriæ [ob circulationem sangvinis] coguntur, cujus beneficio inficitur ipsa totius corporis sanguinea massa, qua corrupta & gangrænosa existente, mors necessariò tandem insequitur.

§. 55. Ne verò quis ea, mera entia rationis esse existimet, quæ hic in medium prolata sunt, maximè cùm patronum causæ suæ habeat *Incomparabilem*

HOFMANNUM in Digreſſione ſua in Circulationem Sangvinis *pag.* 360. hæc pronuntiantem: *Ratiocinari in infinitum licet in unicuique: ſenſu [qui planiſſimè hic requiritur] rationes comprobare tam facilè non eſt*: Utique è re mea erit, hoc meum ratiocinium ſenſu confirmare, introducendo in rem eam ſingulari & admirando conſummatiſſimæ Gangrænæ manifeſto exemplo: accidit abhinc aliquot annis, ut Illuſtris cujusdam Regni hujus Senatoris *νῦν ἐν ἁγίοις* Barbitonſorem domeſticum patria Gallum, temeraria lubido inceſſerit moderandi curſum equorum, at verò ille

—— —— fruſtrà retinacula tendens,
Fertur equis auriga, neque audit currus habenas,

ἐξημαξωμένος seu delapſus de curru, humerum, citra luxationem ullam, vehementer offendit. Applicat ipſus ſibi cataplaſmata, & mitigata quidem ſymptomata fuere, ſed quæ per intervalla recrudeſcebant, quibus cùm commodum non poſſet reperire medicamen, Gangræna brachium occupat tam latè infernè ſurſum verſus ſerpens, ut flectentibus cubitum infeſtatis muſculis, ad humerum attollentem, ſeu deltoidem pergeret. Æger advertens ſummo ſe verſari in periculo, exoravit Dominum, ſibi ut liceret Hafniam curriculo abire conſulturo Medicos ac Chirurgos. Vocor Ego & illius Popularis tunc temporis Regius Chirurgus Monſieur Charles le Sage ad hunc ægrum, inſtantiſſimè membri amputationem urgentem, quam illi diſſvaſimus penitus, auctoresque contrà eramus, toleranter potius malum ferret, quàm ut præſentiſſimo vitæ periculo ſeſe objiceret ſpe vel omnino nulla, vel oppidò dubia recuperandæ valetudinis reliqua, imò etiamſi brachium amputaretur; Qui mortem & vitam juxta eſtimans DEUM, omnesque ſanctos obteſtatus, duriſſima quæque experiri ſe malle ajebat, quàm ita torqueri diutius, ceu in quæſtionem eſſet datus. Conventum ergo inter nos omnes eſt, ut amputaretur methodicè os humeri, & enchireſis, ex ſententia per Philippum Hacqvardt Lotharingum, jam *S.R.M. Chirurgum ſolertiſſimum* perficitur. Quàm verò brachium graveolens, quàm fœdum aſpectu, tactu motuque carens nondum reciſum à ſynceris partibus; puſtulis hinc inde excitatis, ichoroſo ſangvine, aut ſanie ichoroſa potius manantibus, haud facile creditu eſt. Admirandum verò, quòd, nulla ſui parte, læſo, aut nullo ſphacelo corrupto humeri oſſe, brachium univerſum immedicabilis hæc Gangræna obſederit. Obſedit autem ideò, quòd ſolùm illius epiphyſis, ubi per gynglimum cubitus ipſi jungitur, & quidem ad illius tuberculum externum tantùm contuſionem ſuperficiariam aut certè non profundiorem & capaciorem, quàm quæ capere piſum quodvis vulgare poſſet, eſſet paſſa, ne minimo quidem in epiphyſi illa apparente ſigno Syderationis aut Sphaceli, ſanæ omnino ſimili, ita ut ea videri poterat eodem die contuſa, qua amputabatur brachium. Sed quis unquam ulla ratione tale quid vel indagare, vel aſſequi potuiſſet, niſi

casu fundus hujus calamitatis, sed solerti enchiresi anatomica interveniente, fuisset detectus. Atqui æger ille Gallus brachio truncatus octiduum quidem adhuc superfuit, sed horrendis totius corporis convulsionibus correptus: qui quoque[ut & illa obiter addam, admiratione dignissima] dum in Domini sui ædibus ad plateam Kiödmaggerianam Romanè Lanionum appellares, decumberet, ac me ac aliis aliquandiu ad lectum illius considentibus quidem, sed nobis non attendentibus, exploderentur tormenta bellica ex Regiis ac prætoriis navibus, sinistra truncum dextri brachii fovens ac complectens toties quoties explodebantur singula exclamabat: au, au me miserum, JESU MARIA contundor penitus! Adeò permolesta & intolerabilis illi erat tormentorum explosio, & quidem ex loco satis longinquo, terra non firma aut contigua, verùm super Salo aut mari Balthico instituta. Sed his relictis, ac ne ego in infinitum ratiociner. Jam puto, me insigni hoc exemplo ad oculum veluti demonstrasse, qui fiat, ut vel ob leviculam ossis humeri epiphyseως contusionem, citra ullum illius sphacelum, Gangræna universum membrum obsideat. Nosne ergo dubitabimus ex lapsu gravissimo porosissimum ac maximè fragile sacrum dictum os, ita fuisse contusum, ut occultè foverit sphacelum; unde tractu temporis, tot mensibus intervenientibus, similiter sangvis fuit corruptus, ut paucis diebus in febribus malignis corrumpi assolet, ad gangrænosum comparandus. Aut certè defendendum, sacrum os in Conjuge desideratissima, à lapsu gravissimo, leniter loco fuisse motum, aut ea parte divulsum, qua per synchondrosin, cum innominatis jungitur ossibus, ingenti venarum, arteriarum cruralium denique nervorum per crura digestorum incommodo, & malo verè internecino. Quippe sangvis illius per venas [loquor priscum more] liberè circulari, aut ita ferri, nec in nervos se penetrare spiritus, ut conveniebat, potuit. Unde illi alias floridus, discolor ac lividus seu gangrænoso similis est redditus: & nonne notum, luxationes artuum malè restitutas atrophiam primò comitari, eam verò insequi Gangrænam? Torpor autem crurum δυσϕορίαν illi & quidem fatalem portendit. Quæ cum in hac animæ ac corporis luctâ, dulcissimi *nostri Conjugij memor*, *vivere me*, ac centies millies me *valere*, me peregrè absentem jusserit, *sortita talem exitum, qualem semper optaverat*, seu placidum ac vere Christianum: Proin iisdem illis verbis, quibus Matri Elisabethæ Aloftanæ *præstantissimæ fœminarum* viduæ Johannis Van-Dalij valedixerunt filii BAUDIO Poëta, Ego meæ ELISABETHÆ FABRICIÆ *pientissimæ Conjugi ac Matri optimæ* unà cum IX. liberis, vel hoc loco ultimum Vale dicam:

> *Tu jam salutis attigisti limitem,*
> *Fruerisque vita, vita quæ dici meret,*
> *Quam nulla vox mortalis effari potest.*

Tu naufragis emersa mundi fluctibus
Portum subisti, quem bonæ spei caput
Fas est vocari. Non moraris amplius
In hac dolorum valle, sed voti potens
Cursu peracto regna cœlestis plagæ
Felix petisti. Nos manemus, Tu præis.
Vale supremum, donec idem nos dies
Cœlo beabit, atque conjunget Tibi.

§. 56. Verumenimverò abeamus hinc ad ea, à quibus lugubris Conjugis Charissimæ, aliique casus singulares observatuque dignissimi, quò assertiones meas de qualitatibus corporis mutatis, longè superiùs introductis, cæteroquin in consultationibus medicis negligi solitis confirmarem, me abduxerunt; nempe ad priscam illam, imò HIPPOCRATIS ipsius experientiam, ac animi oculis contemplemur febricitantem, sed caput ac cervicem sudantem, &c. accuratè observaturi ei quid eveniat. Vel, cæteris paribus signis, mors hunc occupabit, vel conflictabitur cum morbo periculosissimo & malignissimo vita & morte dubiis in qua veluti lucta, in malignis febribus quandoque Ναυσιώσιες φλεβῶν eveniunt, seu [ut apud Hippocratem hanc voculam eruditiss. FOESIUS interpretatur] *venæ velut nauseabundæ sanguinem effundunt, aut evomunt*] semper hic memineris sangvinis & seri corruptorum; sangvinemque extravasatum, aut extravenatum, ut ita loquar, veneni naturam in corporibus nostris induere] *cùm ex propria imbecillitate, quam ex inflammatione contraxerunt gravata, tum ex ipsius sangvinis copia & pravitate.* En jam tibi, Philalethes, maculas; & jam cùm hausto veneno communia, ex sangvine, tota substantia corrupto, seu symptomata, seu signa; maximè verò, ad nodorum aut valvularum situm, in venis, venarumque ipsarum ductum, ejusmodi ναυσιώσιες φλεβῶν contingere in corporibus nostris, mihi vero fit simile; accuratius deinceps omnia hæc observaturo; non nescio, ob situm arteriæ magnæ & venæ cavæ, nodis aut valvulis carentium, eas potissimùm in dorso; ob alias verò causas, ad quas omnes non est narrandi locus, rarenter in faciei conspici.

§. 57. Variant verò oppidò hæ maculæ ratione Salis volatilis, quod ex meteorologia [dum sangvine falsò creduntur stillare nubes, aut etiam piscinæ falsò creduntur haruspicibus ac vanis hariolis, scaturire sangvine] nec non ex chymicis operationibus pluribus posset probari, nisi extra metam novos pangere limites aut eosdem proferre, atque ita ad tædium usque vagari quasi in latissimo campo videri vellem; cùm meta flectenda sit. Solùm hoc loco in fidem dictorum nonnulla ex *Incomparabilis & verè librorum helluonis eruditissimi* GERARDI JOANNIS VOSSII *de origine ac progressu Idololatriæ l. III. c. XII. pag. m.* 781. 782. huc

hucaccersens. Ille verò inter alia,ubi de pluviis prodigiosis eruditissimè hunc in modum disserit,ita philosophatur: *Interim nec in istis omninò deficit causa naturalis. Lacteus enim color est,quia vapor* [Ego verò dixisse malim Sal & quidem volatile] *educitur è locis cretaceis*: [v.g. Zegebergæ in Holsatia,vel ex fossis Chaalontonensibus in Campania] *sanguineus,quia idem exhalat è locis minio, aut rubrica abundantibus, quomodo nix in Armenia quandoque est rubra, ob minium, quo regio illa abundat* [an per minium hîc bolus Armena intelligitur? *teste Eustathio Iliad. A. p.* 830. *Vel sanguineus fit è locis sanguinolentis*: [de quo tamen alii dubitant,cùm arte destillatus sangvis,non rubram,sed limpidam sufficiat aquam; at verò ex terris mineralibus, halitus rubri, mediante Sale volatili,inter destillandum exhalant] *quomodo, quòd post prælium Cimbricum sanguine pluerit,magna hominum stragi tribuitur à Plutarcho in Mario. Vel lacteus quidem color fuerit à moderato Solis calore, ita aquam excoquente,ut alborem acquirat. Sangvineus autem fit à calore Solis intenso. Calore enim ruborem aquis conciliari, cognoscimus ex urina* [addo ob Sal,quo abundat,haud bile] *febricitantium; item aquis per calidos cineres*[addo eos esse salsuginosos aut salsos]*percolatis. Ex eo,quod de albore diximus,etiam judicium ferendum de rore argenteo,qui sub Severo pluit in forum Augusti, Dione teste. Nec enim verè fuisse liquorem argenteum, arguit, quòd nummi eo obliti triduo tantùm colorem hunc retinerent.* [Cur non diutius? ob Sal volatile huic liquori remistum; quòd,hoc intermisso temporis spatio,ab aere ambiente consumptum fuit,ac tenues evanuit in auras,æquè ac Mercurium, aut argentum vivum evanescere, videmus, butyri forma una cum auro illitum, ab ignis calore, dum in compitis publicitus hic Hafniæ deaurant aurifices argentum] *Ex eo item, quòd de sanguinis pluvia retulimus, ex parte etiam cognoscimus caussam, cur in Svevia anno* cIↃ IↃ XXXIV. *pluerit in vestes crucibus rubris. Nam eo rubri fuerunt coloris, quia pluvia sangvinei erat coloris; cujus caussam vidimus*, &c. Salis ergo volatilis ratione, & dum adhuc in corpore nostro sangvis continetur,aliæ maculæ rubent, & signa sunt ex parte adhuc solummodo & leniter à p. n. calore corrupti sangvinis, quia adhuc colorem servat sangvinis,nondum tota substantia corrupti, eæque benignissimæ omnium; & non semper mortem portendunt; aliæ intermedii coloris; aliæ deniq; nigræ ac lividæ,de quibus ambigitur adhuc & disceptatur, alterutræ illarum sint funestiores. Eadem quoque ratio hypostaseos, enæorematis, nubeculæ denique, urinæ est. Quippe illa omnia, non nisi gradibus differunt, *nec aliud sunt,meo quidem arbitratu,quàm sui generis salia volatilia,* de quorum materiali causa, pro! ut acriter in Scholis medicorum disputatum est, Sal v. id in conspectum se non dat,dum adhuc calida est urina,aut eo ipso in puncto,quo mingitur aut micta est,sed ubi refrixit,unde signum est perfectæ concoctionis, sive in venis; sive arteriis; sive in sangvineis; sive spermaticis partibus,factæ: Quippe Sal id,in iis qui belle valent,ritè concoctione viscerum naturalium peracta, & ut fieri addecet, mediante circulatione sangvinis à renibus unà cum sero, ad

vesicam

vesicam amandatur; sed valetudine non integra, sedimentum, varii coloris & consistentiæ, præsertim in febribus cum benignis tum malignis apparet; imò idem, quod per sudorem non excretum est, sed in venis corruptum, remanet in febribus malignis, variè cutim pingit. Nullus verò dubito, quin hoc paradoxon, curiosa ingenia excitet, ut imposterum longè aliter, de variis sedimenti coloribus, tam sanorum quàm morbidorum; nec non illius generatione & causa materiali, quam olim factum, & antequam Chymiæ studium inclaruit, judicent. Ut verbulo non meminerim, salis urinæ fixi & rubri, quod matulas omni die incrustat; quodque permulti, una cum agyrtis, falsò pro rudimentis calculi habent. Concludo ergò in omni urina naturaliter apparere debere, sedimentum album, quod ut dixi sal est volatile sui generis; quod si verò alio colore, v.g. rubro, flavo, nigro in urina conspiciatur, à præternaturali, maximè à febrili calore, tinctum id est, & quasi ustulatum, aut tostum. Nomine autem sedimenti brevitatis studio, nec tamen obscurus ut fiam, complector hic loci, enæorema & nubeculam. Verum Philalethes scrupulum mihi hîc injicit; & quidem concedit: blanda coctura artificiali, salia volatilia, ex succo herbarum obtineri &c.&c. se vero nullam rationem effingere posse, etiamsi concesserit, urinam sedimenti sui veluti rudimenta aut primordia, in ventriculo capere ex cibo & potu; cur id neçessariò albescat integra valetudine. Is autem sciat velim; salivam nostram, seu excrementum tertiæ concoctionis, ex capite & ventriculo proveniens, (*vid. in hanc sententiam* VESALIUM *lib. V. cap. 3. pag. 595.*) ratione salis & sulphuris volatilis, quibus abundat, omnes cibos, si aliquandiu manderis & lingua versaveris, nec illicò exspueris alieno & subalbido colore, nec non alieno fugaci sapore subacido, simílique odore inficere. Ut taceam, si panem butyratum, aut butyro illitum probè mansum, cataplasmatis in modum carbunculis, aut crudis tuberculis, applicueris, fore ut paucularum horarum spatio, cernas ea ad suppurationem maturari; quem effectum nunquam edet, idem panis butyratus, remiscueris illi licet, quemcunque humorem volueris citra salivam. Advertis ergò Philalethes, in saliva singularem efficaciam salis, quæ ratione sexus ac ætatis, oppidò variat. Obiter noto, nihil tam nutriendis infantulis esse adversum, quàm quod parentes sinant, eos, edentularum propemodum vetularum, desioculárum, ac fætente anima, manso quocunque cibo, nondum dentatas, ali; cum illarum saliva, præsertim jejunarum, abstergere vel nævos possit; die Mähle; die Mutter-Mähle/die Erbflecken/womit die Kinderlein/in Mutter Leibe gezeichnet/und nachgehendes damit geboren werden. vid. supra §. 21. Innotuit quoque omni populo, novisse sibi mederi dum erysipelate infestantur, staminibus lineis, si eis, v. g. tibiæ circumligentur ut ex girgillo detrahuntur. Næ ergò probabile quoque est, cum vetularum, ac conquiniscentium saliva hæc præstet, cujus subsidio telas lineas neunt, quin eadem

illa sa-

illa saliva, quicquid alibilis succi, in pane butyrato, pulmento carne &c. continetur, ita fermentet, dum sub cœlo palati, lingva versant hæc omnia, ut florem, aut ut Chymici loquuntur quintam essentiam, ex iis extrahat; quæ dicto modo remista salivæ clinicarum, (der Warths-Weiber der Kinder) potius illas, quàm infantulos nutrit; quorum tenerrimus ventriculus & ob sextum par nervorum cerebri, sensu exquisitissimus, si ἀχυμοῖς, illis cibariis, quasi saburretur, mirum non est, si cardialgiis, ac hypochondriorum inflationibus, de improviso infestentur: è vestigio vero subinde, ut sæpiculè observavi, vomituriant nauseosi. Omninò ergo non consultum, præmansum quemcunque cibum, edendum concedamus, recens natis puerulis; qui non nisi nutricis aut potius matris lacte, aut pulmentis, tam diu nutriri debent, donec dentierint. Ast cur saliva, ore aliquantulum retenta, albo colore cibaria inficiat, simulque chylus in venis lacteis ab *Asellio* æterna sui laude inventis, naturaliter semper albeat; itemque cur urinæ sedimentum sit albidum, horum omnium, proximam, aut solum probabilem causam scire, obstinatè urget Philalethes; cui studio meo non desero, modo illi gravè non fuerit, Principem Anatomicorum RIOLANUM hic loci audire; qui *lib.* 3. *Anthropographias cap.* 20. *pag.* 119. ultimæ Parisiensis editionis, hæc nos docet: *Viventis hominis ventriculo* (inquit) *insitus, & congenitus est acidulus humor* (ego, addo; quem ab utero materno quasi adhuc calentes, eructare quandoque, aut simul atque recens nati sunt infantuli, cernuntur) *qui instar fermenti, per alimentum diffunditur, ut exquisitè elaboratum ac subactum, facilius in chylum, liquorem cremori similem, solvatur. Is humor perenniter fovetur, & renovatur, ex relicta chyli portione, vel augetur, ex seroso humore acidulo, quem lien,* per Vas breve, *in ventriculum eructat, aciditate sua appetitum provocat, & ad palatum usque assurgens grata & acidula humiditate fauces & linguam irrigat ut masticatum alimentum, sic humectatum, concoctionis rudimentum acquirat in ore. Itaque hic humor acidus esurinus, tenuis spirituosus, operationes suas, in ore inchoat* (ad hæc verba arrigat aures Philalethes velim) *in ventriculi fundo, perficit, adjuvante nativo calore, ipsius ventriculi cui datum à Natura, præ cæteris partibus, chylum elaborare; ideoque absumpto vel diminuto humore illo, appetitus languet; chylus siccior gignitur; si, acrior fuerit, chylus nimium fermentatur, inflatur & spumescit: si fuerit aquosus & frigidus, cruditatum auctor est.* Hactenus ille. Scio quidem Recentiorum studio, in dubium illa vocari, quæ hic, Præceptor meus, beatæ memoriæ, parentis loco mihi charus, de liene & vase brevi nos docet, quæ neminem tamen morabuntur: & sanè, alter *Vesalius* nostras THOMAS BARTHOLINUS, multas controversias verborum, quas de vasis & ductibus lienis cum ventriculo, sive communibus sive ei contiguis, disseminarunt Anatomici; quæque conciliari nec dum hodie omnes queunt, contrahere ac compendifacere, solerter & prudenter, more suo his verbis videtur: dum *libro* 1. *anatom. quartum reformatæ cap.*10. *pag.* 75. huc nos doceat: *Forsan occulti meatus, vel in ore, vel æsophago, vel ventriculo latent, no-*

tent, nobis ignoti. Donec illi detegantur, lacteas nostras servemus, per quas cito transitu ad Cor assumpta commeant: cujus sententiæ meritissimò subscribendum reor. Chylum autem necessario, in ventriculo albescere, *Eruditissimus & ingeniosissimus* THOMAS WILLIS *medicus Oxoniensis Celeberrimus*, in tractatu suo aureo, *de fermentatione*, Cap. 5to. pag. 25. An. 1663. edito docet & veluti digito demonstrat, cujus hæc sunt, Medicinæ Candidatorum in gratiam hic inserenda. *Chyli* (inquit) *in ventriculo coctionem, ratione fermenti cujusdam acidi, fieri vulgò receptum est: tale quoddam subesse testantur ructus acidi in eupepsia; ejus privatio in apepsia, febricitantibus, dysentericis* &c. *ejus restitutio convalescentiæ signum: quibus addi potest hæc observatio: medicamenta chalybeata, ore sumpta, paulò postea nidorem excitant in gula sulphureum, velut si ova, ad duritiem cocta fuerint comesta: quod omnino fieri videtur, à fermento acido ventriculi, ferrum corrodente: siquidem spiritus vitrioli limaturæ chalybis inspersus, talem excitat odorem sulphureum, & fœtidum. Dicunt nonnulli hoc fermentum, à liene stomacho inspirari, quod tamen quo ductu fieri possit observatione Anatomica, nondum constat. Non improbabile videtur, hoc fermentum ventriculo implantari, ut sit tantum chyli confecti aliquod residuum, quod plicis ventriculi infigatur, ibidemque acescens, fermenti naturam induat; non secus ac portio massæ frumentaceæ fermentatæ; & ad acorem servatæ, pro conficiendo pane, fermentum satis idoneum evadit. Pariter hujusmodi humor acidus, ex alimentis paratus, & in ventriculo diu congestus, alimenti coctionem, & subactionem promovet. Acida enim, quæ sale ad fluorem evecto, refertissima sunt, corporibus, tum fermentandis, tum dissolvendis, optimè conducunt; Quare hujus actione sal & sulphur, quibus esculenta abundè scatent, in ventriculo confringuntur, & in partes minutas rediguntur. Chylus hoc modo fermentatus, colorem lacteum acquirit, propter particulas sulphureas, una cum salinis dissolutas, & fermento acido commistas: si enim liquori cuilibet, aut sulphure aut sale volatili imprægnato, humorem acetosum confundas, illico lactescit; uti cernitur in præparandis lacte sulphuris, aut extractis vegetabilium resinosis. Quin & spiritus C. C. aut fuliginis, sale volatili plurimo refertus, si liquori acido, vel aquæ simplici confundatur, colorem lacteum acquirit.* Hactenus THOMAS WILLIS. Quod si ergò extra corpus humanum, liquor quilibet, sulphure ac sale impraegnatus, illico lactescit, si ei humor acetosus, ut DN. WILLIS loquitur, remiscetur; Nosne affirmabimus, ob fermentum plicis ventriculi inhærens & naturale, chylum lactescere, imo in vasis *Asellii* lacteis, adeo simile lacti conspici, quàm lac lacti est? Cum ergo sub initio hujus §. 57. ex meteorologicis demonstratum sit, salia volatilia retinere colorem terrarum, quarum veluti flores sunt, quodque exemplo Cretæ, terræ Armeniæ &c. probavi; simulque paulò ante docuerim, blandissimo Calore elici ex succis vegetabilium salia volatilia; mea hæc est ratio, & sic induco animum meum, ex chylo illo dum perficitur in ventriculo, in venis lacteis & pancreate *Asellii*, blandissimo viscerum calore, ventriculum fo- ventium, & veluti stipantium, elici naturaliter sal volatile, colore album, quia chylus albus, quod ipsum sal volatile, salvo eruditorum judicio, statuo in urina

compa-

comparere ac ultimò quasi efflorescere, post nutritionem partium, ac id sedimentum dici. Tantum ergò abest, ut sedimentum crudi pituitosi succi, & co-ctionem subterfugientis, pars aut portio sit, ut id, cæteris paribus, vel integræ, vel adversæ, vel meliorescentis valetudinis, præsertim, febricitantium indicina sit. Sed satis de hoc paradoxo, redeundum ad priora est.

§. 58. Hic loci Medicinæ Candidatos probè eorum meminisse velim, quæ superius à me §. 52. de impedita ad carpum & malleolum circulatione sangvinis prolata sunt, jam apertiùs demonstranda: Ubi ergo dicto modo sangvis seu sangvinea massa à calore p.n. lentescit ita, ut circulatio sangvinis, non dico omnino, cesset, [verissima interim refero me spatio integri quatridui, circa solstitium brumale, in quodam insigniter scorbutico, *Severino Beck*, Quæstorio Scriba nullum percepisse pulsum, qui tamen ab illo tempore, biennium aut triennium sospes superfuit.] sed ex parte prohibeatur, duo quasi phænomena eveniunt, *& vel occultâ obsidentur modo nominatæ partes Gangræna* & hinc quoque rarenter, aut potius nunquam salvantur ii, quorum artus extremos, manifestus & pertinax calor primò obsidet, qui mox insignitè rubent nigricant, livent, quæ omnia adhuc suam latitudinem & gradus habent; & tunc temporis [quod quoque notandum] ubi hæc præcesserunt, non adeò impensè ut anteà uruntur ægri, aut non advertunt se uri, sed falsò mitescit calor blandiorque apparet; pulsus item est moderatior, & apparenter & falsò melior, quia sangvis lentior, & ad motum tardior, & quoque præstò adest:

Pallida mors æquo pulsans pede pauperum tabernas,
Regumque turres;

vel momentaneus facilè evanescens fugaxque alienus color, in extremis artubus, febri maligna laborantium, conspicitur. Atqui hunc portendere fientem, aut futuram illam sangvinis corruptionem auguror, quæ analoga est aut similis, ichori gangrænoso; nisi Sal illud & præsertim dictis in locis, à Corde remotissimis in sangvinea massa fixum ex parte redditum, alexipharmacis v. g. C.C. philosoph. præparato, itemque rasura C. C. crudi, rasura Unicornu Grönlandici crudi, [Eam verò Chymicè calcinato unicornu esse præferendam, alicubi in Quadripartito meo, secundæ Editionis demonstravi.] Sale volatili C.C. Sale viperino, urinæ, fraxini, succini, Terræ Sigillatæ Silesiacæ aut similium iterum reddatur volatile: unde quoq; celeberrimus ille Practicus MARTINUS RULANDUS, ignarus quidem circulationis sangvinis, nihilominus tamen in lue Ungarica, apprime *Salia chymicè præparata* cap. VI. pag. 85. commendat, asseverans *ritè exhibita tantum hîc præstare, quantum ulla alia*, quò fomitem illius latitantem expellant; inquiens loc. citat. pag. 77. *quantumcunque symptomata demulcere sategeris, corpus oppidò confirmare, recreareque laboraveris, laterem lavabis omnem, fomite intus adhuc latitante.* Sed

 de fomi-

de fomite, aut fermento sub initio hujus Digressionis §. 6. & 7. actum est. His ergo similibusque alexipharmacis, seu Salibus volatilibus, adjuta Natura valida, Sal illud in massa sanguinea ex parte fixum, jam iterum volatile redditum, per arterias in venas amandat, unde non una insignis lata macula [ita enim supra paragrah. 17. qualitates cutis mutatas extremorum artuum appellandas, vel ad eas esse comparandas docui] sed complures & innumeræ, circulatione sangvinis restaurata aut redintegrata sudore universi corporis largo intervenienre, comparent ac efflorescunt: de quibus practici ambigunt an συμπτωματικῶς, an per crisin excernantur. Ego verò eas, quandoque pro copia & qualitate sangvinis, serique corupti, quibus corrigendis Natura non suffecit, sinistrè excretas mortemque ipsam portendisse, easdem quoque per crisin æquè ac variolas ac morbillos, non malorum morum erupisse, *sæpicule* observavi: idem quoque scorbuticis accidere solet. Sic in quæstorio isto Scriba Regio, cùm vena illi rediret, ut solet, infuso mero, aut pulsus iterum in illo tactu perciperetur, palmares maculæ, partim in pectore, partim in artubus summa cum euphoria, post usum antescorbuticorum, apparuerunt. Sunt verò recensitæ illæ maculæ in febribus malignis aut petechialibus effectus pessimæ causæ; seu quæ arguit tantam in vivo corpore fieri sangvinis corruptionem, ut fermentatio illa, de qua superius actum, causetur ejusmodi diacrisin aut apocrisin, in massa sangvinea, ut Sal volatile sese in conspectum det, quòd aptum natum est, [ut exemplo Rubetæ & Aranei suprà §. 21. probavi] de subjecto in subjectum transire; & per consequens, venenum est, & tota substantia agit, ut *Incomparabilis* HOFMANNUS §. 11. locutus est; descripturus, seu in quarto modo proprium νοσερῆς ὑποκείσεως; Atque ob hanc causam non solùm petechiales febres contagiosæ sunt, nempe quod Sal volatile aut μίασμα illud de subjecto in subjectum transire possit, sed quoque lues Venerea, scorbutus, elephantiasis, scabies & similes morbi contagiosi reverà sunt, imò quoque ob id, seu ideò, quòd contagiosi sunt, venenati meritissimò appellantur aut appellabuntur. In specie verò de lue Venerea vide in hanc sententiam HOFMANNUM *lib. 3tio. Institut. Medic. cap. LXXIII.* §. 4. *pag.* 430. De scorbuti verò contagione & veneno, vide SENNERTUM lib. 3tio Prax. part. V. sect. 2. cap. 2. p. 559. ubi, *has similesque sangvinis corruptiones venenorum naturam æmulari, nec nos in indagandis illarum causis, in primis qualitatibus subsistere debere*, sanè perdoctè præcipit; & quî ex primis qualitatibus contagium unquam probavimus? quod jam dixi & docui in sale volatili subsistere, ceu in subjecto inhæsionis; non tamen occultum aut morbum formæ contagium, ut pluribus probatum, appellabimus: Næ ergo prudentissimum practicum consilium modò laudatus RULANDUS in genere nobis sufficit, ne scilicet νοσερὰ illa ὑπόκεισις Hippocratica, aut fermentum febrile majores vires acquirat, seu magis magisque sangvineam massam corrumpat; ne intempestivis & fortibus

tibus purgantibus morbus exasperetur, dum *pag. 78. loc. citat.* inquit: *Sudoriferis atque diureticis alterantibus evacuabitur commodissimè, non modò quicque jam de fomite secundam & tertiam corporis regionem subivit, sed & malignitas seroso fomiti impacta, corquè proximè indesinenter affligtans, aufertur efficacissimè, corpore* ἐνδιαπνεύστῳ *effecto, & humorum exagitatione, & sangvinis ebullitione consopita, &c.*

§. 59. Atque ne quis vulgarium Receptariorum, & qui vix ultra recepta sapiunt, mihi ipsiusque RULANDI manibus, grandem dicam scribat impingatque quasi nos ignari M.M. simus; quod cum calida, sicca intemperie eaque satis insigni, tactu quidem miti & blanda, febri maligna laborantes infestentur, ad sudorifera, ad diuretica; ad salia denique [addo largior illi hoc ultro, licèt id universaliter verum non sit, hæc omnia esse calida] relictis purgantibus, aut certè validioribus, quæ plerumque hoc practicorum genus, empiricorum more, urget, seu ad sacram anchoram ilicò nos confugiamus, febris cùm frigida poscat, &c. Quare declinandæ hujus obtrectationis Melanuri aut Alastoris, Heintzen oder Kuntzen. Ego admirandi judicii & dexteritatis summæ, Viri incomparabilis HOFMANNI, cur nempe calidis medicamentis, calidæ intemperiei morbi curentur, sive rationem, sive censuram ex illius *de Medicam. officinalib. Lib. II. cap. CXXVIII. §. 17. & 18. pag. mihi* 381. petitam, heic introducam. (Quod meum studium, ut benignè interpretentur Medicinæ Candidati, praxin auspicaturi pervelim) Quippe ea non solùm in lue Venerea, cujus medelam locò superiùs citato accuratissimè pertractat HOFMANNUS, sed in malignis febribus & multis aliis, occultis morbis dictis, & in quibus τὸ θεῖον Hippocraticum [quod vocabulū complures perperam accipiunt] delitescere dicitur & creditur, locū habeat. Paucis verò his verbis plurima hic compēdifacio, M.M. spectantia, quæ sequens ætas, DEO volente, in multis approbabit, & mihi vel hoc nomine [nisi me auguria fallunt] gratias aget, quòd pessulum ostio ad occultarum qualitatum aditum, aut potius ad morbos occultos obductum, pro virili reducere recta cum ratione annisus sum; susque deque habens, quòd in voculas maledicorum Παρέκβασις hæc mea, vel hoc nomine incurrat, quòd in ea de febribus petechialibus, earumque maculis disserere occipiens, ad venena, ad contagium, ad morbos formæ abreptus videar, unde ea simili facie quoque appareat, ac

Humano capiti cervicem pictor equinam
Jungere si velit, & varias inducere plumas,
Undique collatis membris, &c.

§. 60. Loco autem citato, acerbè satis, post FALLOPIUM, HOFMANNUS in illos invehitur, qui lignū Gvajacum, amarum & mordax, atq; adeo calidum & siccum esse fatentes, tamen velint, idem temperatissimum, tam & simile esse

le esse corpori nostro, quàm ullum alimentum, ideò quòd à ligni Gvajaci usu, cernant quosdam corpulentiores fieri. *Qua contradictione constricti quidam* [inquit HOFMANNUS] *dixerunt, Lignum hoc curare quidem morbum hunc* [Luem Veneream scilicet] *sive ex calidis pendeat humoribus, sive ex frigidis, substantiæ proprietate, sive, ut alij, occulta qualitate: conjunctos autem illi alios morbos manifestis qualitatibus. Sed reverà hi multo magis decipiuntur. Si enim maximè ita est, si (inquam) substantiæ proprietate curat ipsam luem, deponitne manifestas qualitates? Non dicent spero. Propterea, problemata etiam manent indiscussa, cur calidum pugnet calido? & siccum sicco? cur corpus recipiant ægri calidi & sicci, à medicamento calido & sicco? Quod si tale est in morbis adjunctis, cur in ipsa radice non est? Sed & calidum, & humidum perfecteque & plus nutrit, quàm jus pulli consummatum? Stat igitur hoc, Gvajacum est calidum & siccum: & quomodo pellit morbum calidum & siccum? Discußis, & absumptis calidis & siccis humoribus* [Ego addo: ejusmodi apparere, aut ideò existere calidos siccos, ob Sal, quo Lue Venerea infectorum sangvis necessariò & extra controversiam exuberantissimè abundat, ut ex prioribus hujus meæ Digressionis notum, quia nempe contagiosa hæc illorum lues est.] *quæ est refrigeratio per accidens. Ita Rhabarbarum refrigerat purgatis ejusdem generis humoribus. Facit id autem non sine discrimine, & absque methodi legibus, absq; quibus, qui tentarunt, insigniter læsi sunt. Tamen nutrit? recipiunt enim corpus? Neutiquam nutrit. Cum enim alimenti vox sit paßiva, hoc est, sit rei, quæ vincitur, quis credat, medicamentum tam calidum posse vinci, & in substantiam aliti converti? Tamen fiunt habitiores? Enecas. Jam enim dixi, per accidens fieri, discußis calidis humoribus, & expeditis viscerum obstructionibus, quæ generationi sangvinis obstabant Tamen. Quàm malus es Logicus, qui non distingvis id, quod per se, ab eo quod per accidens? quin nescis committere elenchum* μὴ παρὰ τοῦτο, *quod Loßius te docuit?* Idem *lib.* 3. *Institut. Medic. cap. XI. in Aberrationibus p.* 328. præclarè praxin illustrantia, & morbos occultos profligantia, & hæc habet: *quamobrem veritati studens ajo, Vera est* CAPIVACCII *sententia, Quamvis dentur agentia à tota substantia: non inducunt tamen à temperamento alienas qualitates, quatenus* [*inquam*] *quædam ita temperata sunt, ut non agant sola v. g. caliditate cum tali modo substantiæ, ut Vallesius loqui vult. Ut ut igitur concedam illis, quod volunt: manet mihi tamen hoc diversum, id quod urgent, est elementale, cui ego oppono elementale aliud, experientia cognitum, ut* GALENUS *in Meth. loquitur. Venenum Gallicum vulgò dictum, non consistit in caliditate, & siccitate tantùm insigni: sed in partium præterea tenuitate tanta, quæ in intimas partium etiam densißimarum particulas sese insinuat, &c. Huic objicio Gvajacum, Sassafras, alia, quæ non minùs calida & tenuia sunt, quàm venenum ipsum, quod venenum diutino, largoque medicamentorum illorum usu urgeo, pello, impello dejicio, ut vel tandem cedere cogatur. Nec quidquam juvat adversarios, quod venena* τῶν ἰοβόλων *tam subitò interficiunt. Hoc enim ipsum est à tenuitate substantiæ. Ita lactuca quoque integra comesta alimentum est: succus necat. Ergo, inquiunt, in venenis, adeoque omnibus tota substantia agentibus duplices agnoscis qualitates? Agnosco vel* SENNERTO *Doctore, qui scribit, Venena habere duplices actiones, & quatenus res elementares sunt, & quatenus venena. Hæc*

ipsa

ipsa est GALENI *doctrina, qualitates manifestas à tota substantia separantis, &c.* Et paucis intermissis, tandem his verbis concludit sermonem: *Heic quid opus est quinta essentia? Sed sit: talis essentia est venenum viperæ, aspidis, scorpii, canis rabidi, pestis, non aliunde quàm ex elementis conflatum, sed suo quodque modo. Puta, in hoc, cum manifestis qualitatibus, his illisve, est modus substantiæ talis vel talis, qui operatur hoc illudve, quod videtur ire ultra virtutem elementalem, ultra actum suum adæquatum, uti loquuntur. Ex hac ratione, non ex manifestis qualitatibus solis, sed etiam ex ratione mistionis, educo vim Magnetis, Rhabarbari, Pœoniæ, similium. Hæc ipsa mistio est forma, quæ dirigit actionem. Jam ergo consensum meum habet* SENNERTUS, *dari morbos totius substantiæ, qui curentur remediis totius substantiæ: verùm ita, ut neutrum se porrigat ultra elementa. Et hoc* GALENUS *vult, 2. Aphoris. 22. 1. Simpl. 16, 6. Loc. affect. 5. Ulteriùs si tendere volet, de nomine litigabit.* Hactenus HOFMANNUS.

§. 61. Summa autem priorum hæc est: ex accidenti Luem Veneream calidum & siccum morbum, curari calido medicamento, & quidem ligni Gvajaci, &c. simplici decocto. Quod quoque in febri maligna & petechiali fieri, dum sudoriferis, diureticis, & in specie salibus utimur, affirmandum est, nempe: acria & calida hæc ex accidenti iis prodesse. Cur? Quia dum in ea, crisi nulla aut imperfecta interveniente, in sangvinea massa jam ex parte fixum redditum Sal, in manibus, aut pedibus, aut potius anastomosibus venarum ac arteriarum dictarum partium, & à corde remotissimarum, liberam circulationem prohibet, salia ista id volatile reddunt; quo vel attenuato, & volatili facto per sudores vel fixiori & veluti fuso, ac ad vias urinarias, beneficio circulationis sangvinis amandato, illa ipsa liberè iterum officium suum facit; qua procurata, elutriatur verè sangvis, & veluti ventilatur, non solùm in dicta febri, sed aliis morbis malignis, & contagiosis v. g. Scorbuto, Elephantiasi, & similibus. Hinc ipsis Crœsi divitiis pœponenda, &

—— —— *fulvo pretiosior auro*

optimus ex sese Thesaurus, Sanitas nempe, DEO benedicente obtinetur, & malignitas abigitur; ast ubi in morbo hoc acuto, & febri maligna, Natura adjuta non fuerit, tum demum quicquid cessante febri, aut ζέσει in sangvinea massa corruptum est, ac remanet, abscessus & tumores varios, variarum partium, quorum superiùs §. 12. facta est mentio, gignit.

§. 62. Sed lubet hic novum paradoxum inserere. Quando enim in continuis imò quoque malignis febribus, ubi delirium imminet, aut ἀγρυπνία laborant ægri, plantis ipsorum pedum topica applicamus, quæ revulsionis gratia applicari perhibentur, næ hic insignis committitur causæ fallacia? Quæ verò sunt illa, aut ex quibus parantur? Columbæ & gallinæ sunt viventes discerptæ, ca-

præ, calidissimo sangvine, unde bubonibus in peste applicantur; halec muria condita discissa; Raphanus; fermentum acerrimum imò aceto multo sale Luneburgensi subactum, smegmate, sinapi, ruta, matricaria insuper adhuc ei remistis. Tinca autem quod applicetur pedibus, ut fieri solet, ferre non possum. Priora verò recensita omnia calida, salibus suis abundantia, & valdè tenuium sunt partium. Hinc dictis in corporis extremitatibus, dum uterque venosus & arteriosus sangvis febrili calore exustus, gravior, lentiorque factus est, liberè circulari nequit, illa ipsa plantis pedum subdita, beneficio salium subtilium & volatilium quibus pollent, fixum illum sangvinis, serique attenuant, liquefaciunt, fundunt, & sic ex accidenti dum procuratur libera sangvinis circulatio in pedibus, restagnare is in caput potest, somnus obrepit naturalis. Tincam verò, qui volet, applicet plantis pedum per me licet. Ast, ubi rationem poscimus, cur prodesse queat, respondetur: fertur, ea lambere alios pisces, & sugendo veluti sordes eorum attrahere. Ergo concluditur, trahit, aut revellit à capite calidos vapores. Pulchra consequentia illa, & tam certa, quàm hæc quoque est: Baculus stat in angulo, ergo Pompejus vincet. Nec dissimilis huic rationi eorum est, qui magnetem lapidem, & succinum exactè pulverata emplastris remiscent, eo animo ut trahere debeant. Quippe nisi hic integrum quidquam præter ferrum, neq; illud nisi integrum, quidquam præter paleas, festucas, chartam virgineam, plumas, aut plumis nisi quid levius, & quidem solùm, ubi incaluit panno affrictum trahit; ast ubi utraq; in pollinem sunt redacta minimè; & qui possunt trahere, omninò destructa; tota substantia [loquor cum GALENO] sua agentia, ferrum, paleasque trahentia? Vid. in hanc sententiam Celeberrimi ATHANASII KIRCHERI *lib.3. cap.2. Quæst.* Utrum emplastrum, scobe magnetica præparatum, ferrum in humano corpore extrahere possit. *pag.* 687. *& seq.* qui id fieri posse, optimis intervenientibus rationibus, pernegat. Itemque *lib. I. part. 2. proposit. XV. de arte magnetica pag.* 111.112. ubi inter vim tractivam & directivam, hic Philosophorum, hujus seculi, sive ARISTOTELES, sive ARCHIMEDES, distinguit. Sed linquenda hæc sunt Philosophis; Medica tracto hoc loco Medicus, qui ea, quæ de topicorum & in specie plantis pedum applicatorum effectu in capitis affectibus attuli, rarissima observatione sum confirmaturus, quæ hæc est: Cùm abhinc aliquot annis Vir Juvenis honestissimo loco natus, Danus Patria, ex longinquis, & transmarinis peregrinationibus redux, ceu quas terra, marique, per integrum septennium in præcipuis Europæ Provinciis, Germania nempe, Belgio, Gallia, Hispania, Italia & ei adjacentibus, aut in mari mediterraneo sitis insulis, Sicilia, Candia, Rhodo, Cypro, partim eques & miles, partim pedes & viator instituisset, parentibus se suis ex voto reddidisset, accidit, ut ex mutata diæta hic Hafniæ gravissimam, ophthalmiam, aut χήμωσιν potius, bulbis oculorũ prominulis & palpebris inversis patere-

pateretur,qui nec lucem,nec ullum ventilatum aërem aut ventulum ferre poſſet,&c. ita ut gliſcenti eoque pertinaci huic malo,neque Ego,neque Chirurgus, artis peritiſſimus, commodum ullum invenire poſſemus remedium, ſed coacti fuerimus extrema illa capeſſere,quæ *ultimo aphoriſm.*LXXXVIII. HIPPOCRATES noſter commendat,quamvis nec æger quidquam levaminis ex omnibus iis perciperet. Quare ego cogitare mecum,aut prognoſi eſſe relinquendum ægrum, ob ſacram HIPPOCRATIS noſtri authoritatem; aut expedire ex ejusdem decretis, ut medelam hujus χημώσεως alia aggrederer via. Inquiro ergò ſolicitiùs & ſagaciùs in priorem,modò dicti ægri,diætam; & fari mihi ille, duriſſima quæque & modo non fractum multo labore in Candia,cum militis peditis ſtipendia apud Venetos faceret,ſeſe eſſe paſſum,& ſexcenta alia, ad quæ non eſt narrandi locus. Ingenuè quoque ceu ingenuum decet mihi faſſus eſt,nunquam ſe contaminaſſe iis vitiis, quæ fert adoleſcentia, & quibus alii Venerei Nepotuli omnium nationum, iter facientes, fœdè polluti quandoque redeunt, ceu canes cauda truncati,vel calda conſperſi è culina. Cùm ergò moribus intaminatis vitæque integer juvenis hic, inter alia quoque conquereretur de inſigni pedum æſtu,præ quo ſomnum capere non poſſet: porrò ex illo quæro, fugax an diutinus hic eſſet dolor, & an recens, an vetus; & diutinum & veterem affirmavit. Quæro ergo,anne termini, ex quo cæpiſſet primulum, recordari poſſet; at ſeſe haud poſſe ajebat. His ego non acquieſcere,ut veram ex illo hujus ſive morbi, ſive ſymptomatis cauſam exſculperem; quare cùm inter alia quoque mihi retuliſſet,ſe magnis itineribus & ſumma celeritate peditem Patavio contendiſſe Hamburgum, & quidem ſe ſpatio quinque ſeptimanarum hoc iter pedeſtre confeciſſe &c. Suſpicabar ego,intemperiem pedum facere, ut juſtò calidior ſanguis,citra tamen febrim,vel cauſaretur illam χήμωσιν vel certò foveret. Hinc animo allubuit meo,experiri,[præſertim *cum PLATO de L.L.IX.pag.m.656. Omnes Medicos, qui curantes,non ſponte occiderint,mundos eſſe pronuntiet*] quantum ſolers ratio opitulari,practicis noſtris ſtudiis poſſet, ſeu ut apertius dicam quid velim; quantum Anatomia inutilis quandoque appellata,vel quam GALENUS *IV. anatom. adminiſt. cap.* 1. *pag.* 291. C. videtur, *Cavillatoriam*, reſpectu utilis appellare,conferre practicis Medicinæ ſtudiis,valeret: ſeu num circulatio ſanguinis, tantum in ophthalmia hac curanda, quantum in ἀγρυπνίᾳ, ut jam probatum, præſtare poſſet. Parui ergò HIPPOCRATIS effato,quod *de locis in homine,Sect.IV.pag.* 91. exſtat, nempe: *morbos vetuſtos primum recentes eſſe faciendos*,i. e. ut olim,in aliis meis commentariis accepi,aut alio loco interpretatus ſum,de novo novis urgendos eſſe remediis commodis,haud aliter ac ſi novi paroxyſmi inſultus accideret; & recentavi medelam hujus χημώσεως; Quin cum idem dicto loco, ſed paulò ſuperiori: præceperit *:in morbis, quos quis minimè cognoſcit* [vulgus autem vult, nos omnes ubi ſolum carpo,applicamus digitorum apices, ob pulſum in eo explo-

N randum,

randum, aut ubi tribus vicibus excretam, & abhinc triduum mictam urinam inspicimus, pronuntiare dictum factum, de morbi eventu & posse & debere] *medicamentum minimè vehemens potui exhibendum &c.* hoc illius præceptum, instar Ariadnes fili, secutus sum. Præmissis ergò universalibus, ægro huic, *Emplastrum Imperiale Soceri mei p. m.* JACOBI FABRICII, ceu cujus egregias vires, in mitigandis doloribus podagricis, aliquoties comperi, commendo. Est autem hæc illius, descriptio, à multis desiderata, quæ ℞. Colophon. ceræ ana. ℥iiij. Terebinth. laric. ℥j. eliquatis super lento igne, adde unguenti popul. ℥ij. misce diligenter, iisque paulatim immisce, pulveris Succini Thur. Mastich. Myrrh. Aloes. ana ℥j. radic. Diptamni, Gentian. Aristol. rotund. an. ℥ij. Alum. usti ℥ß. Salis prunell. ʒvj. Camphor. ʒj. misc. fiat. l. a. emplast. ex quo formentur magdaleones. Sed quia in hoc individuo, nuda intemperies calida, sine materia pedes obsedisset, *emplastri hujus Unciæ uni? Nitri præparati seu salis prunellæ, & gummi Carannæ an.* ℥ß. remiscui, & spatio quinque vel sex dierum, non solum intemperies illa pedum correcta est, sed quoque casu inveni, contra clavos pedum, **wider die Leichdörner/oder Elster-Augen** remedium. Etenim cum plantæ pedum, me inscio, ipsi horridæ ac stipatæ hinc inde essent clavis innumeris, accidit; ut ab usu hujus Nitrati emplast. marcuerint ad unum omnes. Vindicatus ergo Juvenis hic optimus ab enormi ophthalmia, quæ ipsum undecim septimanas detrusum, in tenebricosissimum cubiculum lecto affixerat, qui usque dum viveret, ne quidem leviculam ταραξιν, DEO sit gratia, postea est passus. Atque hæc ipsa medela singularis, fecit ut honestissimæ Matronæ Patria Warbergensi quadragenariæ, insigniter plethoricæ, contumacissima Ophthalmia abhinc aliquot annos laboranti, verno tempore, capitis doloribus, subinde ipsi molestis, pedibus semper subfrigidis, ab omni usu medicamentorum abhorrenti; quoque emplastrum, sed priori diversa temperie præscripserim; postquam ipsi, venas ad malleolos, incidendas curassem; ea intentione, ut sangvinis circulationem, in anastomosibus arteriarum venarumque, remoram ibi passam, arte accelerarem, ac ita eadem methodo laudatissimæ hujus Matronæ oculorum inflammationi, subinde recrudescenti mederer. Nec frustra fui. Nam DEO benedicente postquam pedibus soccorum in modum, malleolorum tenus, emplastrum aptasset; advertit, primò, sibi ab eo manifestò, pedes blandè foveri, quod antea nullis subsidiis; soccis linteis, laneis, neu tibialibus insuper Britannicis, Cimbricis, Islandicis, duplicatis, triplicatisve obtinere poterat; post dein caput ac oculos quoque melius habere; quæ spatio octidui non neglectis collyriis, à diutina ophthalmia, ex sententia, ingenti Familiæ applausu, liberata est; quum priusquam ipsi pedes, ceu soccis indutis, emplastro involverentur, semper sibi hanc magis exasperari, quàm leniri collyriis, conquesta esset. Emplastri autem dicti, hæc mea est descriptio. ℞. Castor. præping. demptis membranulis

nulis aut pelliculis omnibus, in taleolas minutulas, concisi ℥ij. Costi Arabici, baccar. Lauri, Junip. radic. zedoar. an. ʒj. pulv. rorismar. salv. demptis stipitibus omnibus, Gummi carann. pic. Naval. an. ℥ij. dissolve leni igni in olei castor. s. q. addit. ceræ. ℥ij. fiat l. a. Emplast. Cujus ℞. part. unam. Emplastri de baccis Lauri part. duas. quæ in s. q. olei Castor. soluta, l. a. rediguntor, addito tantillo terebinth. ad justam consistentiam Emplast. aliquot guttul. olei camomill. destill. malaxandi; detur in cerato & signetur, sonderliches Pflaster zum Füssen. Menstrua quoque circa plenilunium, huic Dominæ, ab illius usu, antea vel parca, vel in ordinata, largiter profluxerunt. Eodem Emplastro, si quis uti velit, adversus pernionem, acri hyeme, quam satis inclementem hoc Anno 1677. perferimus, dubio procul immunis eodem erit. Quam vero mitiget ac sopiat idem emplastrum podagricorum dolores tempestivè, seu M. M. non neglecta usurpatum; imò id insuper eos præservet, ne podagra in nodosam abeat, si eo jugiter, aut de die in diem, soccorum loco, pedes nudos induant, nec id recentent prius, quam cuti non adhæreat, aut sponte sua ab ea abscedat; Quàm quoque idem Emplast. dolores quarumcunque partium diuturnos & inveteratos insignitè, & ita leniat, ut tandem omninò evanescant, ea pluribus referre, hujus loci non sunt; interim illius descriptionem, non solum in summatum, sed quoque mediomoxumorum, imò infimatum commodum, atque adeo in publicos usus, lubens meritoque, cum omnibus quatuor hujus inclutæ, ac Regiæ metropoleos pharmacopæis (*non moror non sum invidus*) pridem communicavi, hac inscriptione. Bewährtes Seenen-stärckendes/und Schmertzen-linderendes Pflaster; Latinè vel Græcè dixeris, Nervinum & anodynum Emplastrum. Nec reticere hic loci volo, & quidem in gratiam Medic. Candidatorum, adhuc singularem Medicam observationem, quæ hæc est: domi meæ compluscūlis ab hinc annis, Præceptore JOACHIMO HENNINGIO populari meo, hodie inclutæ Hamburgensium Reip. Scholæ publicæ (loquor cum vulgo) Sub Rectore, per sexennium moribus ac studiis filiorum meorum, magna sui laude præfecto, adolescentulus quidam, una cum iis liberaliter educebatur, incredibili amore studiorum flagrans, usque adeò ut fræno, in illorum cursu indigeret. Qui cum posthabita valetudine sua, dum febri correptus, in paternis ædibus, ad forum Amagriense hîc decumberet, temperare sibi non poterat, quin legendo studiis invigilaret; ita offendit oculos antea debiles, metus mihi ac parentibus, de cæcitate sinistri ut incuteretur. Huic licet τὰ δέοντα omnia, me Medico, ac Ophthalmico sufficerentur, tamen defluxiones adeò ἀθρόως, & præsertim ad sinistrum defluebant, ut non solùm is, sed quoque dexter, præ doloribus, lachrymis calidis stillarent, genas irrigantibus. Huic ergò adolescenti, deliberato animo, cum antidhac, de jugi ac pertinaci pedum stupore & frigore, sæpiculè esset conquestus? idem emplastr. meum Nervinum & anodynum

commendavi. Quod cum prima vice, sub diluculum alicujus diei sibi dicto modo aptasset, non solum eo die, sed per integrum biduum, advertit se ἔκλυσιν per intervalla, in lecto decumbentem pati; (quod observatione dignissimum reor ob dogma de Circulatione Sanguinis, in Medica Schola novum & recens.) Idem pauculis ab eo tempore elapsis diebus, quo pedibus applicuisset emplastrum, de ephialte aut incubo [mirum!] cui nunquam fuerat obnoxius, conquestus est; Qui *ab usu pilularum Cratonii de Succino*, & incisa brachii vena, itemque Saphænæ, denique à pulvere stomachico, & cephalico, ipsi à me præscripto, ex sententia evanuit; quique amplius, iterato pedibus inducto emplastro, nullo modo ab eo infestabatur, oculis longè melius valentibus. In gratiam quidem Medicinæ Studiosorum pluribus recenserem, quî factum, quod ἔκλυσιν, quodque incubum fit passus hic adolescens, reseratis ab usu emplastri mei anodyni & nervini, venarum & arteriarum anastomosibus; sed haud oportunè, nec sine ingratiis aliorum, hunc meum commentarium lecturorum, id hoc loco fieret. Paucis ergò dico, & hæc mea est sententia: ut ex accidenti factum, quod Juveni isti DANO, ex longinquis transmarinis Regionibus reduci, primum & nitratum illud emplastrum, pedum clavos tabefecit; tabefactos v. & marcidos evulsit ex insperatò, dum id studerem unicè, ut eo intemperiem pedum calidissimam corrigerem solùm; & ut alterum quoque inopinatò, Matronæ honestissimæ, & quidem quadragenariæ, menses elicuit, fluido jam illius sanguine in pedum venis redditò: ita idem meum emplastrum nervinum & anodynum, in hoc adolescente febricitante, sanguine illius, è mediana emisso, insigniter roseo, & rubricam scriptoriam miniatam, æmulante, sed sero ferè omni destituto, atque adeo crasso, lento, multoque sale fixo abundante (ut ex prioribus notum, ac in hac digressione mea passim demonstratum est) ex accidenti incubum excitavit; quem satis gravem perpessus est; quippe imaginabatur sibi ante oculos obversari, *monstrum horrendum, ingens* &c. &c. Cætera autem supplementa mearum rationum causarumve incubi, huc advehenda, ea ex Anatomicorum, & præsertim qui inter eos, circulationem sangvinis, commentariis suis, post *Celebratissimum* HARVEUM illustrarunt, petenda ipsis Medicinæ Candidatis sunt; quibus præ cæteris, Celeberrimorum Virorum, RIOLANI, BARTHOLINI, WALÆI, & similium doctissimas lucubrationes maximo commendo opere, ipsus cum iis relegendis, hac ætate mea antelucanis studiis intervenientibus, vacare amplius non possim. Interim iis, pulveris mei descriptionem contra incubum, hic publicitus sufficio, quæ hæc est. ℞. radic. Valerianæ, pimpinellæ an. ʒij. Zedoar. ʒj. Herb. euphrag. cum flor. ʒß. maioran. verben. an. ʒij. granorum pœoniæ. Semin. Siler. montani an. ʒj. Mastich. mac. an. ℈ij. fiat l. a. pulv. finiss. Sacchari dimid. ad pondus omnium addito. Sig. Haubt / Augen und Magen-stärckendes Pulver auff etliche mahl; cujus æger

capiat

capiat aliquot cusp.des cuitri tres quatuorve, cubitum mox iturus; manè verò postquam lecto surrexit cotidie totidem, haustulo vini liliorum convallium diluat ac sorbeat. Atque ob hæc rariora exempla, aut observationes medicas, hîc introductas, in præsens, illos veteranos practicos compellandos, rogandosque arbitror, qui obstinatè circulationem sangvinis adhuc negant, vel spernunt, æquius de ea judicent maximè cum augurer fore, ut, venientibus annis, ad multos obstrusos morbos, imò vel *Formæ* dictos, viam nobis aperiat hoc dogma; quod si deinceps M.M. non subvertet, tamen in quibusdam medelis, eandem immutabit aut perficiet. Hinc in epilepticis ac apoplecticis, habita semper ratione virium (quod palmarium est) quodque summo studio *CORN. CELSUS lib. 2. de re medica Cap. X p. 163.* observandum præcipit; non expavesco ipso in latere affecto, ipso in paroxysmo venam incidere; ac spatio unius horæ ter quaterve, subinde apicibus digitorum meorum, robur pulsus explorans, eam iterare aut repetere: in cuius rei fidem, B. L. evolvat velim, *Historiam insignem de aromatopola apoplectico, in quadripartito meo secundæ editionis Class. 3. p. 366.* ubi de lavendula agitur, hac methodo, restituto: Quippe modo laudato CELSO authore, *satius est anceps auxilium experiri, quàm nullum. Idque maximè fieri debet: ubi nervi resoluti sunt; Ubi subitò quis obmutuit. Ubi angina strangulatur. Ubi prioris febris accessio penè confecit, paremq; subsequi verisimile est; req; eandem videntur sustinere ægri vires posse* &c.&c. & paucis intermissis hæc habet: *Neque ignoro quosdam dicere quàm longissime sangvinem inde ubi lædit, esse mittendum; sic enim averti materiæ cursum, at illo modo in id ipsum quod gravat evocari, sed id ipsum falsum est. Proximum enim locum primò exhaurit. Ex ulterioribus autem eatenus sanguis sequitur, quatenus emittitur, ubi is suppressus est, quia non* trahitur*, ne venit quidem.* &c.&c. Sed ô mei sultis, (vos compello Medicinæ Candidatos, Danos, Germanos, Italos, Gallos, Britannos, Belgas &c. passim degentes, praxin medicam, divina annuente gratia, auspicaturos) audiatis hic loci velim, quàm pergam ulterius Anatomicorum Principem, magnum indigito ADRIANUM SPIGELIUM, cujus hoc est saluberrimum consilium, quod exstat in illius *Lib. VII. Cap. VII. de humana fabrica pag. mihi* 204. *Cæterum hoc loco*, (inquit) *operæ pretium est, cum aliis doctissimis Anatomicis admonere, credendum non esse, eandem in omnibus hominibus, venarum seriem & ductum inveniri, cum sectio cadaverum demonstret, vix inter mille, duos, eandem venarum distributionem, accuratè servare. Quam ob rem, nec in elegendis locis, pro venæsectionibus, tam scrupulosos nos, ut solent quidam, imperiti, esse decet, sed eam potissimum eligere, quæ tutissimè secari possit, quòd quàm optimè sese oculis offerat. Nonnunquam enim cephalica sic gracilis est, ut vix conspectui pateat: interdum contra Basilica. Quare ille quàm optimè egerit, qui prudens potius consilium, quam scrupulosam imperitorum opinionem tuetur.* Hactenus ille. CELSI ergò & SPIGELII prudentiæ, nunquam satis laudatæ, à primordiis praxeos meæ, obsequutus, non solùm in Apoplecticorum & Epilepticorum medela, sed quoq; in uno itemque

altero affectu, Experientia optima Artium Magistra, interveniente; DEO verò operibus manuum mearum benedicente, condocefactus sum, in latere affecto, vel Cephalicam, vel Basilicam, vel Saphænam, opera chirurgi usus, incidere; & quidem ea potissimum intentione, dum venarum *valvulas* (primo HIERONYMO FABRICIO ab AQUAPENDENTE authore, *Anno Domini ac Salvatoris nostri, Septuagesimo quarto, supra millesimum & quingentesimum*, atque adeò abhinc integrum seculum, summa cum lætitia observatas) animi oculis in vivo corpore, Caji vel Lælii concipiam, aut mihi persuadeam, vel à copioso crassoque sanguine, & sero ferè, sangvinis alias vehiculo, carente ita repleri (*sic sciens volensq́; hic loquor*) vel ita easdem comprimi, ut officium suum facere nequeant, sed sangvinis motum, à corde vitæ nostræ fonte & arteriis concitatum, tamdiu sufflaminent, retardent, remorentur, vel p.n. inhibeant; donec iterum valvulæ hient, ac ita liberè sangvis, ventilari aut circulari queat, ut hac arte, aut venæsectionis subsidio interveniente, id assequar. Sed earum iteratò mox mentio fiet. Ast! ἄτοπον quis dixerit *valvulas* repleri sangvine posse. Sic est. Proin per velim, ab Anatomes ac Medicinæ proceribus, Latinitati congruentiori vocabulo, deinceps, quàm *valvularum* eas appellarier. Quò procul dubio primus earum inventor, ab AQUAPENDENTE ut retuli, respiciens, non *valvulas*, sed *ostiola* appellavit, cujus hæc sunt verba *pag. mihi* 149. *similem* (inquit) *sanè industriam hic Naturâ machinata, ac in molendinarum machinis, Ars molitur, in quibus artifices, ut aqua multa detineatur, ac pro molendinarum usu servetur, obstacula non nulla, quæ* latinè septa & claustra, *vulgò autem* Clausas & Rostas (quæ duo ultima vocabula ego non capio) *apponuntur, in quibus maxima aquæ copia, atque in summa ea, quæ necessaria est, veluti in apto ventre, colligitur: æquè profectò Natura in venis ipsis, quæ veluti fluviorum canales sunt, per* Ostiola *tum singularia, tum geminata molitur.* &c. &c. Audiant ergò ô Mei (vos compello Anatomes ac Medicinæ Studiosos) clarioris doctrinæ gratia sive *valvulæ*, sive *ostiola* venarum, (palàm enim est, arterias iis carere) deinceps in Anatomica ac Medica Schola, *haustra*, aut *excipula*, cum ob formam, tum ob usum Naturæ admirandum in venis, tot per secula in occulto qui jacuit dolendum autem id factum, ob Anatomici studii contemptum) sed qui authore AQUAPENDENTE est: paululum retardare, validum sangvinis cursum, nequaquam autem impedire transitum: Quæ duo vocabula, *haustrum* & *excipulum*, Celeberrimus HADRIANUS JUNIUS, de re literaria, præclare meritus, Patriæ suæ Hollandiæ, ingens decus ac ornamentum; itemque Regiæ hujus Academiæ olim Publ. Profess. Belgicè appellat: **Een Ghiter/een Laet-panneken/oft kummeken/ daer men t' Bloet inne laet.** Arq; hæc de medela apoplecticorum & epilepticorũ ritè instituenda, dicta sufficiant. Juvat tamen coronidis loco, paucula huc adferre, post inventionem *haustrorum* aut *excipulorum* in venis; itemque circulationis sangvinis, de medela podagræ, in qua præter saphænam venam, quamcunque

cunque obviam, præ cæteris conſpicuam, tumidam, nodoſam denique, in dorſo pedis, atq; adeo, ad *valvulas*, ad *oſtiola*, ad *hauſtra*, ad *excipula*, jubendus eſt Chirurgus, dextrè incidat. Nodos enim tumidiores, aut eminentiores, in venis Brachiorum Manuumque; itemque Crurum Pedumve monitore AQUAPENDENTE, in vivo corpore id indicare ſciſco, quod venis innata *hauſtra* à ſangvine copioſo, aut minus fluido, diſtenta ſangvinem venarum juſto diutius, ac circulationis ſangvinis naturali motui convenit (ut paulò ante innui) remorentur. At ſumma dexteritas Chirurgi non timidi aut meticuloſi, ſed præſentis animi ad hanc enchireſin ritè inſtituendam, requiritur, ubi dicto loco, incidenda eſt vena, ne, ut cum *Cornel. Celſo* loquar, *ſcalpellus timidè demittatur*, ſed ut convenit, nec in cutem ſolùm, ſed in venam ipſam adigatur: atque hac enchireſi ritè adminiſtrata, uſu venire ſolet, tanto impetu, ut ex podagricorum pedum venis, proſiliat ſangvis, prius aquæ tepidæ tantillum temporis immerſorum; quantò, vel ex brachiorum vel mediana vel baſilica. Sed ſi ſecus acciderit, per Chirurgi imperitiam, nec ſatis largiter, ab uſu ſcalpelli myrtiformis profluxerit ſangvis, ſed ſolùm guttatim ſtillet; tantum abeſt ut podagricorum dolores mitigentur aut evaneſcant, ut etiam ii exacerbeſcant, aut longè atrocius ſæviant. Tutiſſimum ergò uſurpare ſcalpellum chirurgicum modo deſcriptum, aut myrtiformem dictum, præ alio vulgari, *ſecuri-formi* (ut ita dicam) ſcalpello, quorum illud cum Gallis *une Lancette*; hoc verò cum Germanis eine Fläte/nominamus. Qui autem Anatomes ignarus, cupidus tamen eſt, ex Anatomicorum libris, addiſcere, qua forma ſeſe repræſentent in cadaveribus humanis, vel *valvulæ*, vel *oſtiola*, vel *hauſtra*, vel *excipula* denique venarum; ei maximo commendanda ſunt opere, AQUAPENDENTIS *Itali & noſtratis* BARTHOLINI, *anteſignanorum inter Anatomicos* commentaria, ære perenniora, elegantiſſimis figuris, æri aut cupro inſculptis exornata. Atque hæc hactenus. Sed cum modus in rebus, & certi denique fines ſint; receptui quaſi cano; ſummo ſtudio Medicinæ Candidatos obteſtans, ne ſpernant in praxi mox ab ipſis capeſſenda, quæ hic loci de venæ ſectione ritè adminiſtranda recenſitis in morbis allata monita ſunt. Cum itaque mihi non liceat pertractare hoc dogma Nuperorum, de circulatione ſangvinis hic loci pluribus; intendere tamen digitum, ad ea commoda volui, quæ ex eo; itemque ex inventione ſive *hauſtrorum* ſive *excipulorum* in venis, circulatione ſangvinis antiquiori; ſed utriſque in praxi medica, à Medicis huc uſque inſuper habitis, in Medicinam practicam redundant. Hinc eum in finem, unicum, & quidem quàm fieri poteſt, pauciſſimis, problema adhuc enodabo, quod hoc eſt: *Cur vulgò credantur illa prodeſſe capiti quæ pedibus applicamus*: imò indignemur, ſi quem nudis pedibus ſtantem aut obambulantem; nec non, dum iter facimus, ubi quemquam peregrinantium, conſpiciamus ſuper ſtrato dormire ocreatum? Ratio in promptu; quia calidis vel frigidis pedibus aut potius eorum plantis

plantis applicatis, sangvis, ob anastomoses venarum & arteriarum, hîc numerosas alteratus, subsidio sangvinis circulationis, citò ad caput ipsum defertur: ut ex superioribus tribus observationibus medicis, hujus paragraphi manifestissimè constat; maximè autem ex ephialte aut incubo optimi adolescentis: in quorum omnium fidem, *ex celebratissimi Anatomici, Affinis ac Compatris* DN. THOMÆ BARTHOLINI *Centur. VI. histor. anat. & Medic. histor.* 88. *pag.* 353. observationem singularem hic inserere lubet: ubi postquam de fatuitate ex frigore trium puellarum disseruit, hæc illius verba leguntur: *similem spirituum fixationem, torporemq́, expertus est, nauta quidam noster ebrius, per glaciem minus firmam, navem adscensurus; dum enim vestigium fefellit, pedesque frigidissimæ aquæ immergeret (eodem frigore, pedibus ferè congelatis, redeunte ad Cerebrum, ex calcaneis sanguine alterato) tam mutatus fuit ab illo, ut qui calidissimus aliàs fuerat, & ad omnes actiones nativa facilitate promptissimus, jam memoriæ successerit læsio, & alia torporis insoliti stuporisque signa sese prodiderint; quæ vix in melius annuo spatio emendare potuimus.* Vid. quoque eundem, *in tractatu de Nive pag.* 178. *cap.* 13. ubi eodem exemplo probat sanguinem in extremis refrigerari. Sic etiam edocemur, causticis valdè calidis, carpo applicatis, quantum illa, circulatione sanguinis interveniente, valeant in morbis. Quippe ea, vel tollunt, vel mitigant v. g. febrim; Tollunt ubi fermentum febris, quod jam venas subiit una cum sero effluit, pustula ad carpum excitata; mitigant solum, ubi quicquam hujus remanet; alterantia vero frigida, alterando sangvinem frigefaciunt, quod fit, ubi v. g. in febribus, Nitrum præparatum, aqua Lactucæ solutum, vel limonii mali pulpam carpo aptamus. Qui verò valetudinem suam, & quidem, ut apud CICERONEM passim, & frequenter præcipitur, diligenter curabit, is optimè sibi consulet, ob anastomoses modo dictas, si quocunque modo pedes & manus probè, adversus aëris injurias præmuniat; vitetque objecta & præsertim frigidissima v. g. glaciem & similia cujus rei insignis observatio, apud Celeberrimum PAULUM MARQUARDUM SLEGELIUM Inclutæ Hamburgensis civitatis quondam poliatrum, amicum nostrum singularem occurrit, quam in sua doctissima *commentatione de sanguinis motu. Cap. XI. pag.* 88. his verbis refert: *Accidit:* (inquit) *dum hæc relego, famulum aliquem, sub dio occupatum, in everrenda glacie, ferreo instrumento utentem, subito animo deficere, & in terram cadere, tactu frigidissimi ferri, manu intense refrigerata, & frigore ex manu ad Cor transmisso; qui in lectum pertractus & calido jusculo cibatus, reficiebatur. Non ergò dubium esse debet, quin modo proposito, sangvis in extremis partibus communem circulum imitetur, idq́, finis maximi & planè necessarij gratia, nec motum illum ullo tempore mutari, aut cessare citra damnum animalis.* Probè quoque valetudini nostræ consulitur, dum detractis ocreis dormitur, quò non pedes magis incalescant, quàm convenit, atque ita ex accidenti capitis dolor, aliaque gravissima Symptomata gignantur. Huc pertinet ut non nisi laxos calceos induamus, in cotidianos usus; nec cruralibus arctè obligemus aut constringamus poplites.

poplites. Hinc oppidò mihi perplacet *Celeberrimi Practici* THOMÆ ERASTI consilium, quod Comiti cuidam, palpitationi cordis obnoxio dedit, cujus hæc sunt verba, apud SCHOLTZIUM inter consilia medicinalia ab ipso collecta, quæ *pag. mihi* 277. *consilio* 103. reperiuntur. *In vestitu etiam summè cavendum, ne nimis arctæ sint vestes circa thoracem, jugulum, collum, alas, & inguina, ne vasa istis in locis comprimantur. Fuere qui propter arctiorem ligaturam pedum, supra genua & compressionem femorum, correpti palpitatione fuerunt. Eam ob rem (atque etiam alias ob causas) semper damnavi modum ligandi caligas, qui a paucis annis jam invaluit, obtinuit, & nunc etiam obtinet.* Hactenus ille. Nec minus culpandus (sed absit dictatoriam authoritatem mihi ut arrogem) ille Juvenum habitus est, qui hodie, aut nudius tertius, ex Galliis reduces, comis pretiosis ascititiis (Perruken) præsignes, pretio acu pictis scorteis cruralibus, poplites suos arctè fibulant; ne quid dicam de *strictis illorum vestibus* (ut hic CORNEL. TACITI loquendi modum, *de moribus Germanorum* usurpem) *quæ singulos artus exprimunt.* Sufflaminant enim hæc omnia quasi, aut remorantur, liberam & Naturæ congruentem circulationem Sanguinis, in illorum artubus; unde metuendum, ne *palpitationem* Cordis, (*ut solerter modo laudatus THOMAS ERASTUS, admonet*, ignarus licet fuerit circulationis Sangvinis) patiantur; ingravescente verò ætate, graviora adhuc mala, v. g. dyspnæam, vertiginem, epilepsiam, apoplexiam, paralysin denique (nisi DEUS hæc mala omnia avertat) perpeti cogantur. Quàm pessimè quoque (ut obiter hæc addam) sibi consulant, virgunculæ omnium Nationum; præsertim verò ad Mare Balthicum habitantes, dum instar Daphnes apud OVIDIUM brachia sua,

—— —— *& nudos media plus parte lacertos,*

fasciis tribus quatuorve, *à la mode*, arctè devinciant, id pridem, ex secunda editione, Censuræ meæ, super anatome Regii equi, Germanico idiomate, à me institutæ Anno 1674. editæ iis innotuit. Quin & easdem, per fidem perque ipsarum valetudinem obtestatus sum, non se vestirent, strictis sed largis thoracibus, præsertim dum, ut *cum PLAUTO* loquar, *mammulæ primulum ipsis sororiare occipiunt*; vel etiam, ut PETRONIUS ARBITER loquitur, aut nuptis verbis jocatur, *dum necdum ejus ætatis sunt, ut muliebris patientiæ legem possint accipere*: sic enim usu venire asserui, *ut vincto pectore, graciles fiant, ac tametsi bona sint natura, prava hac curatura Matrum, quæ nolunt habitiores nec pugiles esse, sed demissis humeris, reddantur junceæ*, ut ad illa TERENTII alludam. Sed relictis his jocoseriis, me recipio ad pertexenda priora, seu quæ non tam ornatum quam structuram artuum naturalem spectant, ad averruncanda multa incommoda, quibus cæteroquin iis non probè examinatis, affligimur. Ut taceam circa has extremitates, nempe manuum pedumve, ceu à Corde remotissimas naturaliter magis, ac copiosius, quàm ad ullos alios corporis sive locos, sive partes, excrementa tertiæ concoctionis, sive amandari, sive propelli, hinc manus nostræ sordescunt, & sæpiculè eas interdiu

lavamus; pedes verò [sed honos præfandus est] sordibus propemodum virulentis, & fætentibus, ideo incrustantur quia rarius. Quod si ergò *ex HIPPOCRATIS nostri* decretis, *de aliment. Sect. IV. pag.* 361. *vers.* 15. *ab externis partibus alimentum, ab externa superficie, ad intima pervenit. Confluxio una, conspiratio una, consentientia omnia.* &c. &c. *in corpore nostro, nec illud ferre contraria his queat*: quis dubitabit quin ocreæ pedibus dormiturorum, non detractæ, multimodè iis incommodent? Nam, ut arteriæ excrementis suis, his in partibus sese exonerare annituntur, [in quam sententiam pervelim Medic. Candidati evolvant *Celeberrimi* GVERNERI ROLFINCII, *eruditissimas dissertationes anatomicas lib. IV. cap.* 14. *p.* 1094. merentur enim lampada & oleum redolentes, hæ & alia illius opera, diurna nocturnaque manu, ab iis ut versentur] ita ubi *defæcatio* (ut ita dicam) quocunque modo impeditur, venæ una cum sangvine arterioso, excrementa ea resorbere coguntur, qui sangvis dein iterum mediante circulatione, ad Cor revehitur, porrò defæcandus &c. Cujus rei indicina scabies est, quod exemplo puerulorum, qui ex ephebis nondum excesserunt, comprobare licet. Ii quippè frequentissimè, salvis cæteris artubus, scabie manuum pedumve, & quidem ob ἀδδηφαγίαν corripiuntur; quibus si lithargyrio, Mercurio vivo, lauri oleo cum tantillo sulphuris empiricorum & anicularum more medeberis, à scabie quidem facilè eos vindicas, sed in præsentissimum vitæ periculum ideo conjicis; quod partim circulationem sangvinis ipsam retardes; partim quod excrementa tertiæ concoctionis repellas, & seu in arteriis, seu venis cunees. Maximè autem in venis, ob *haustra & excipula*, quæ in iis admiranda Naturæ solertia, reperiuntur. Sed cum ampliter de illorum situ, forma & usu, paulò ante actum est, nolo ad fastidium illa iterare vel, cramben bis coctam quasi Benev. Lectori bellariorum loco apponere. Matrum interim familias quarundam studium & solertia hîc laudanda veniunt; Quæ ubi liberos vel nepotes suos, variolis aut morbillis primulum laborare advertunt, in pectore raris vel nullis, sed à corde remotissimis partibus numerosis, sibi ideo gratari assolent, quod putent à Naturæ robore protrudi has sive pustulas, sive efflorescentias. Hinc sanè arguto consilio, à Medicis id doctæ (cujus DODONÆUS magni nominis Medicus, *in parergis ad medicinales observat. pag. mihi* 120. meminit.) vivas discerpunt columbas, ac plantis pedum filiarum subdunt illæ Matres, quæ optant venustam faciem illis, servarier: ceu qua, eæ, jam plenis nubiles annis, præsertim nimbatæ, procos sæpiculè ocyus alliciunt, quam opima dote: Contra aliæ filiabus suis, pessimè consulunt, dum faciem illarum pinguibus, butyro, oleo amygdalarum dulcium, & similibus, magno illarum incommodo, & quandoque internecino malo & præsertim si sub initium morbi inungunt. Illa quippe omnia, intempestivè prohibent ζέσιν sangvinis, in jugularibus venis, ac carotidibus arteriis, contenti. Unde usus venit, ut non rarò immedicabilis Angina, fauces collumve obsideat:

cum

cum solùm in declinatione mali, & ubi crustis variolarum crassis incrustata, ac veluti personata facies est, pingvibus uti nos deceat, quo crustæ variolarum decidant.

§. 63. Cum ergò hæc ita se habeant, nempe quod manus pedesque, magis quàm aliæ artuum partes, excrementis tertiæ concoctionis, secundum Naturæ aut Circulationis motum, scateant; Quotusquisque jam est, qui non affirmabit, credibile esse in febribus, & præsertim malignis, circa has partes corrumpi maximè humores; nec expedire Medicis, Sacerdotibus Confessionariis, amicis aut aliis adstantibus, maligna febri laborantium manus ut contrectent justò frequentius, aut eorum suis foveant, nisi velint sponte sua, contagio infici; Medicinæ verò Candidati hujus rei hoc experimentum à me accipiant; quod aliquoties, pulsu in malignè febricitantibus, explorato, meæ mihi manus, de improviso, ita prurire occeperint, ceu Urticâ Romana, vel etiam marina [populares mei appellant Eine Seegalle / ob insignem acrimoniam] fuissent perfrictæ: quas ego domum reversus ubi lavissem; ecce statim, insigniter & incredibiliter digiti intumuerunt tumore, citra ullam pulsus mutationem, aut noxam aliam, quæ à me adverti potuit, spatio unius alteriusve horæ quadrantis, iterum evanescente. Attamen procul dubio, cum bis terve, ab illo tempore, quo praxin medicam exerceo, petechiali febri fuerim correptus, incautus accersivi mihi eandem, per contagium. Quamobrem cum vel piscator ictus sapere dicatur, ac periculum non ex aliis, sed me ipso fecerim, mihi jam ex usu est, cum ægri adventantibus nobis Medicis, liberaliter dextram, plerumque sudatiunculis roscidam, porrigant, ut utrinque jungantur dextræ, aversari nimiam eorum humanitatem, rogareque eos, ut *sans ceremonies*, patiantur, dextris non junctis, sibi explorari pulsum. Ast libet hic loci in fidem dictorum, singularem observationem adferre, ex qua elucet, præ aliquam multis, *contagium, ob sangvinem in manibus, tota substantia corruptum, aut venenatum, nos quandoque infecere.* An. 1663. æstivis mensibus, febri malorum morum, quam febrim malignam appellant; non tamen petechiali laborabat hic Haffniæ, honestissima Matrona, quæ insigniter, æstuans, morbo ad statum properante, subinde recens malum limonium, manibus interdiu versabat non solùm, sed insuper quandoque, digitis pectinatim complicatis, manibus à sudatiunculis udis, arctissime complectebatur, ut ita frigore illius, ex parte refici posset, &c. &c. Accidit autem cum amicarum quædam, in honorem illius, excubias ad lectum ageret; ac siticulosa, concubia ac intempesta nocte, vel cerevisiam vel vinum poscere nollet; cum quatuor aut quinque, alia recentia mala limonia, pone speculum, ad fenestram essent seposita, ut nullo habito delectu eorum, sed proximum ex iis arriperet, & illud ipsum erat, quod ægra adversus febrilem æstum, dicto modo contrectarat interdiu, idque degluberet, in frusta orbicularia conscinderet, sacchario conspergeret, ac illo-

rum unum itemque alterum comederet. Et bellè quidem illa valere, usque dum crepero die, aurora appeteret; Atque ita ea, ægræ amicæ sub diluculum valediceret; sed quæ curru avecta, domumque suam vix ingressa, horrenda cholera corripiebatur; quæ in tetanum propemodum lethalem, desinebat. A quibus gravissimis sive morbis, sive symptomatis tamen, DEO benedicente tunc temporis, me Medico, vindicabatur, hodiè adhuc superstes, jam quasi sexaginta annos nata. Negari ergò non potest, quin ex volis ægræ, limonium illud malum, chartæ bibulæ instar, imbiberit sordes illas virulentas, easque circulatione sangvinis interveniente, ob anastomoses venarum ac arteriarum, quæ in extremis corporis nostri partibus, nempe manibus ac pedibus occurrunt, honestissimæ huic Matronæ, concitasse recensitam variorum Symptomatum syndromen. Atque ita unum itemque alterum problema; nec non quædam dubia ventilata, ac excussa aut decisa, hic loci à me, in gratiam Medicinæ Studiosorum sunt, quæ febrium & præsertim malignarum, genium & indolem, maximè illustrare possunt. Mox accuratius quoque prosequuturus sum, quæ illustrare methodum medendi, febrium malignarum, & similium contagiosorum morborum, queunt: Quod meum studium, non solum illi, sed etiam in praxi Medica adhuc tyrones, aut ut cum inclutissimo DANIELE HEINSIO, jocer *ab Academica incude adhuc recentes*, æqui bonique consulent, uti in sua, CRAS CREDO HODIE NIHIL loquitur.

§. 64. Præeunte ergò Incomparabili practico JOHANNE CRATONE à KRAFTHEIM, Germanorum Medicorum Coryphæo, noto, aliam M.M. in Germania in morbis malignis & pestilentialibus esse observandam, quàm Italis familiarem, ceu quos *consilio CCLXXV. pag.* mihi 808. *v.* 45. dicit: apparere, *non multos peste infectos curasse*. Verum parcius viris hæc tamen essent objicienda. Sed disputetur de his similibusque ad raucedinem usque; ne quid gravius dicam, per me licet: sine tamen partium studio, re vera omnia, quæ superius §. 12. recensui, dè tumoribus variarum partium, ita se habere, aut accidere ægris his in oris, aliisque Septemtrioni subjectis usus, & quotidiana experientia confirmabunt. De medela vero dictorum tumorum, non vacat, vel hoc vel alio loco, hujus meæ digressionis quidquam tradere. *Nam ita majus evaderet operis accessorium, quàm ipsum opus*, ut GALENUS in simili casu, *lib. 3. de simpl. med. Facult. Cap.* 17. *pag.* 86. *B.* loquitur. Attamen de medela, scorbuto ac Elephantiasi laborantium, ceu qui cum petechiis infestatis, ob certum aliquod tertium, committendi sunt, præstabit non nulla addere.

§. 65. Sed Philomathes scire avebit, quodnam sit illud tertium? & dico, id illud esse, cujus jam §. 58. facta est mentio, nempe quod sangvis, & scorbuticorum, & elephantiacorum, æquè ac petechiis infectorum tota substantia cor-

tia corrumpatur. Hinc maculas in iis erumpere; hinc eos contagio nos posse inficere; hinc ipsum istorum sangvinem venenatum esse, aut ad venenorum Naturam aut Genium accedere, ceu maligna & petechiali febri laborantium, omninò statuendum est; & proin quoque requiri medicamenta, tota substantia hos morbos expellentia, quæ GALENO nostro teste, 13. m. m. 6. pag. 320. B. per empiriam, haud per M.M. inveniuntur, cujus hæc sunt: *Monstratum namque est, in libris de Medicamentis, quædam esse, totis substantiis inter se contraria*, [sic si recordaris priorum, pix Norwagica tota substantia, contraria est, sangvini ichoroso Rubetæ, aut Bufonis, quod per empiriam Hortulanus primùm me docuit] *quædam solis qualitatibus: Sed & illud indicatum æquè est, quod eorum, quæ contraria qualitate sunt, methodus quæpiam sit eorum; quæ tota substantia sunt adversa, methodus non fit, sed omnia per experientiam inventa.* Quod ergò superiùs §. 26. dixi, picem Norwagicam quædam per se, quædam per accidens præstare, omnia illa si ita placet, cum penetrare penitius, in illius Naturam nequeam, jam toti ipsius substantiæ, esse accepta ferenda, ultro lubensque affirmabo.

§. 66. Aureus mecastor hic GALENI locus est, quem jam transfero [postquam ex parte, de medela febris petechialis, nec non luis Venereæ actum est] ad Scorbuticorum ac Elephantiacorum medelam. Ut ergò ligni Guajaci, Sassafras &c. & similium calidorum medicamentorum usu, per empiriam aut experientiam Barbarorum, Americam & præsertim S. Dominici insulam inhabitantium, primum condocefacti sumus, Luem Veneream, urgere, pellere, impellere, dejicere, ut vel tandem excedere cogatur; similiter quoque nos Europæi, & præsertim septentrionales, longo usu docti sumus, per Cochleariam, Barbaream, Raphanum, Lepidium, Sinapi, Trifolinum fibrinum seu palustre, Nasturtii genera, omnia impensè acria & calida, venenum Scorbuti expellere. Afrorum vero, & Asiaticorum, aut potius in Africam Asiam vel denique in Americam contendentium, & trans mare currentium, dispar est ratio: Quippe qui acidis v. g. malorum limoniorum, citriorum, granatorum &c. aut similium simplicium succis, *ad Caput Bonæ spei*, aut alia promontoria, insulasve appulsi, ideo parvo intermisso temporis spatio, à scorbuto vindicantur, quod longè diversa, imò omninò contrariæ intemperies cæli, & prava diæta illum genuerint quàm is scorbutus est, quo nos in Europa Septentrionales affligimur. Qui sic inquies? Illi quippe in itineribus illis longinquis navalibus, & quandoque annuis, ab intolerabili æstu (vid. in hanc sententiam §. 53. hujus meæ digressionis,) veluti percoquuntur torrido sub sole; nos vero frigido sub cœlo torpescimus. Illis præter naturam, sed citra febrim tamen sangvis velut ebullit: nobis tepet. Illis acidorum recensitorum (probè memini ea esse diversarum partium) beneficio, ebullitio p.n. sangvinis ita defervet, ceu frigidam infuderis spumanti aheno; Nobis, Sinapi, Trifolio fibrino Tabernæm. Cochl. & similibus, mediante

illorum sale volatili, noster sanguis fæculentus, & multo sale fixo abundans, attenuatur, eoque ceu incitamento, torpidus aliàs ad motum, excitatur, ac pulsus quasi in integrum restituitur, ac Nostratium Scorbuticorum valetudo meliorescit. Atque ita utroque modo, calidis & frigidis prohibetur & abigitur, DEO benedicente, sanguinis illa corruptio, quam Scorbutum appellamus; quem meritissimò ob allatas rationes, relatasque circumstantias deinceps in Europæum & Africanum, vel etiam Septentrionalem & Orientalem, distinguere licebit, quibus utrisq;, solis antescorbuticis, ut lue Venerea, (lue aliàs in America Endemia) infestatis, solis Guajacinis, vel similibus, non aliis & medemur, & specifica appellamus. Revelo interim hîc ni fallor, Medicinæ Studiosis ingens secretum, ut norint specificorum ortum & originem, cum illa specifica sint, & audiant, quæ tota substantia agere dicuntur, & per experientiam reperta sunt: cum aliàs per ea, hoc seculo, dogmatica Medendi Methodus, commutetur, malum! in empiricam; & meritissimo ideo dixeris, laudatæ pudicitiæ Virginem jam lenocinium facere, dum Anus & nescio qui, nihil aliud, quam specifica & spirent & crepent; Horumque usu, sese passim commendantes, conculcent, rude donatorum authoritatem. Sed ad rem. Obiter autem noto; Mala limonia, citria, punica, seu granata, frigida quidem esse temperie siccaque, sed tamen tenuium partium; Earum enim ni esset illorum succus, haud sudorem instar aceti moveret. Ne verò quis miretur, quod Scorbutus in Grônlandiam ac Islandiam contendentes, aut ibidem habitantes, æquè edentet, ac incolas ad Caput Bonæ spei; proin hujus effectus à causis diversissimis provenientis, hanc à me rationem accipiat: Quod gangræna & calorem & frigus intensissimum, insequatur; & ob posterius horum, pernione laboremus, qui vel gangrænæ est species, vel ad eam quàm proximè accedit, præsertim ubi in statu est. Quin, & pernioni non nisi, tota substantia agentibus simplicibus, atque adeo specificis medemur, ut sunt nix, pomum putridum, rapum. Sed ad priora revertor.

§. 67. Eadem quoque ratio Elephantiacorum. Quippe Asiaticos sola Empiria primò docuit, Elephantiacis mederi viperis, quarum quædam casu in lagenam, vino plenam, tempore messis irrepserat; Qui postea adverterunt, delitescere vim illam in sale viperarum, qua de re sultis GALENUM *de simpl. medicament. facult. XI. Cap. 1. pag. m. 299. & seq.* Itemque *de Art. Curat. ad Glauconem lib. 2. Cap. 13, p. 416. C.* nec non *de Subfig. Empiric.* Cap. XII. p. 133. B. C. evolvite. Qui locus cum planè singularis est, præstabit in fidem dictorum, hîc eum integrum inserere, præsertim cum ex eo aperte constet, calcinationem Chymicorum, non novum esse inventum, sed vel vulgo in Asia, non longe post CHRISTUM natum, eam innotuisse. Floruit enim GALENUS noster ANTONINO Imperatore [illo qui proximè post ADRIANUM imperavit] circiter Annum CHRISTI ac Salvatoris nostri 139. vel 140. seu cujus filii COMMODI nomine Medicus fuit. *Vid.*

GALEN.

GALEN. *de lib. propr. cap. 2. pag.* 41. C. Verba autem dicti loci *ex subfiguratione empirica*, ita habent: *Divitem virum non nostratem, sed è media Thracia, Pergamum, somnio ita jubente, profectum Æsculapius admonuit, ut medicamentum è viperis, quotidie potaret, atque exterius corpus illineret; ac non multo postea transivit in lepram, deinde hac Medicina, quam DEUS docuerat, exquisitè sanatus est. Tot igitur experimentis commoti, tandem quoque DEI admonitu confirmati certam spem concepimus sanandi Elephantiasin, medicina è viperis confecta, quam Theriacam appellant, nec minus sale theriaco, quod jam vulgò confici cœpit, vivis viperis cum quibusdam aliis medicamentis in fictili novo combustis. Sed & viperas edendas præcipimus, capitibus caudisque earum primò abscissis, deinde in pastillos confectas. Non tamen confestim ad hæc remedia proficiscimur, sed prius corpus exquisitè purgamus. Nec raro venam secamus si robur & ætas tulerint. Vere autem id potissimè, fieri ad plerosque diuturnos affectus, commune est.*

§. 68. Licet autem ex prioribus constet, & passim in hac digressione mea traditum sit, hos similesque morbos vulgò perhiberi quidquam quod supra elementa sit, ratione causæ occultæ obtinere, & proin requirere quoque alia medicamenta, quàm M. M. nos docet, ut ex ipso GALENO constat: Attamen concesso hoc, & quod negari non potest, per empiriam illa medicamenta esse inventa, non probabitur unquam, ejusmodi effectus edere, quæ non ad agentia tota substantia GALENI vel possint vel debeant referri. Utinam autem GALENI liber quem promisit nobis XI. *de simplic. med. fac.* 30. *pag.* 315. *A.* hoc titulo: *De iis quæ proprietate totius substantiæ quid agunt*, injuria temporis non intercidisset, & quot optimæ papyri plaustris parcitum esset, morbis occultis, aut *Formæ* potius appellatis impensis! Interim ego, ex eruditissimi HOFMANNI, rejectan. patholog. th. 118. petita, ambabus amplector manibus, *nempe morbos venenatos, pestilentes ac malignos, non inducere diversos: sed diversa*, (quod maximoperè notandum, diversa dico) *contraria. Neque enim quibuslibet contrariis curantur quilibet morbi: sed alii aliis, pro ut qualitas peccans est, illa dico quam vel occultam solet vocare vir doctus, vel mirabilem, vel ineffabilem vel insolentem, vel aliter & quam GALENUS à temperamento procedere dicat, invenirique experientia*; quibus verbis dubio procul HOFMANNUS respicere videtur, ad GALENI locum, qui exstat, *Comment.* 1. *in Hippoc. prognost. cap.* 2. *text.* 7. *p.* 731. *C. Tom.* 4. ubi dicit: *non simpliciter quæcunque causas habent incognitas, aut inopinabiles, divina vocamus, sed ubi mirabilia habeantur duntaxat*; postquam paulo antè GALENUS docuisset HIPPOCRATEM nullo suo libro causam ægrotationis in Deos refundere, quod probat *ex. lib. HIPP. de Vict. acutor. morbor. & de morbo sacro*, sub cujus initio statim ipsus HIPPOCR. ita de eo judicat nempe: *eum nihil quidquam aliis morbis divinius, aut sacra ius, sed eandem ex qua, reliqui morbi oriuntur, naturam habere. Homines verò ex imperitia* [hæc verba ceu ex tripode profecta esse videri potuerunt] *& admiratione, ei naturam quandam & causam divinam inesse censuerunt, quod nulla in re, reliquorum morborum similis sit.* Quæ verba si ad malignos morbos

pestem-

pestemque transtuleris [iterum hîc excipio, & pestem esse flagellum DEI agnosco] anne permulti imperitiæ argui debebunt? Horum enim & similium locorum qui recordabitur, ille sanè nunquam admittet *morbos Formæ*; vel quidquam divini HIPPOCRATICI, aut cœlo deducti, elementa superans in morbis delitescere, asseverabit. Et heic iterum HOFMANNUM pro me responsurum introduco, qui *in Reject. suis Patholo. th.* 120. super hac causa, accuratissimè, his verbis decernere videtur dum scribit: *Θεῖον Hippocraticum quid sit, tam est obscurum, ut meritò ridendus sit, qui pro certo affirmare velit, senem nostrum ad hos novatores respexisse! αἱ νουσεραὶ ἀποκρίσεις, sunt hodie vocatum contagium, seu fomes pestilens, qui inter ea est, quæ tota substantia agunt, ut quidem GALENUS accipit. Eodem pertinent qualitates extraneæ, adeoque ipsa tota substantia.* Quicum facit quoque eruditissimus HARVEUS, quippe nec ille in morbis quidquam divini agnoscit, quod non ad modum mistionis, aut ad ea, quæ tota substantia agunt, referri queat; dum ille *in exercitationibus de generat. animal. exercit.* 26. *p.* 8. [ubi de phagædenis lupisque ulceribus] hæc docet: *Et fortaßis* (inquit) HIPPOCRATES *per τὸ Θεῖον, intellexit morbos eos, qui ex venenatorum contagio oriuntur; quasi illis vita quædam insit, principiumque divinum, quo se adaugent, aliosque sibi similes morbos, etiamsi alieno in corpore per contagium generent.* Hactenus illius verba, quibus quid planius aut rationi verisimilius adferri possit non video.

§. 69. Commodum autem [ut ad institutum meum revertar] quod GALENUS, paulò ante salis viperini ceu specifici, uti loquimur, contra elephantiasin medicamenti, mentionem fecerit, ceu elephantiacorum fæculentissimo saleque fixo abundantissimo sangvini, tota substantia contrarii. *Cur autem is ei contrarius, & quidem tota substantia?* quia per experientiam ejusmodi, ab effectu inventus est. Sic cum cochlearia, & alia antescorbutica, per experientiam, non per M.M. aut rationem inventa sunt, necessariò sequitur, eadem tota substantia agere; & næ eadem quoque, ob sal, quo prædita sunt, volatile, totâ substantia, adversa sunt medicamenta, crasso fæculentoque Scorbuticorum sangvini? Sale vero hoc volatili, ut paulo ante, recensitæ herbæ recentes & succosæ maximè abundant; ita siccæ propemodum eo destituuntur: hinc quoque eos effectus nunquam, quàm ubi recentes sunt, edunt. Et ob hanc causam, quod salibus suis volatilibus, & præsertim verno tempore abundent; quibus quoque alma nostra mater, tellus nempe tunc temporis ditior (ut ex prioribus notum) aut ut, *cum Columella de re rustic.* III. cap. 21. pag. m. 106. loquar: *annua vice, (velut æterno quodam puerperio) læta mortalibus distenta,* [veluti] *musto demittit ubera,* usuvenit, ut scorbutici quoque, & ocyus & facilius, verno, quàm ullo alio anni tempore, cum valetudine in gratiam redeant; Quem loquendi modum quoque aut ei similem, *Virgil. 2do. Georg.* usurpat, ita canens:

Ver adeo

Ver adeo frond: nemorum, ver utile sylvis:
Vere tument terræ, & genitalia semina poscunt.
Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther
Conjugis in gremium, lætæ descendit, & omnes
Magnus alit, magno commistus corpore fœtus.

Interim quam elegantissimis verbis, super fœcunditate terræ, hic Poëta disserit! ignarus licet fuerit provenire eam, ex pluviæ, & ipsius terræ salibus volatilibus. Nolo enim Virgilio affingere, illi quidquam constetisse, aut innotuisse, de Chymicis principiis, & præsertim Chymicorum salibus volatilibus; de quibus, ut ex prioribus hujus mei commentarii constat, si illorum recordaris, passim & ampliter actum est. Quòd verò verno tempore, scorbuticæ herbæ, maximè sese sale volatili commendent, hujus rei veluti δοκιμασία est, quod ubi essentiam tincturamve ex iis sub finem Aprilis aut initium Maji præparemus, ea instar vini Chii aut Malvatici rubescat, aliis anni temporibus non item. Sic GALENUS noster, vel quicunque libri de Theriaca ad Pison. author est [JULIUS enim ALEXANDRINUS & HOFMANNUS negant GALENUM esse illius authorem] præcipit *Cap. XX. p. 361. D. tom Vto.* sumendas esse viperas, ad Theriacæ confectionem non quovis tempore, sed potissimum veris initio captas.

§. 70. Guajacum quoque ob sal suum volatile [quod coctura in decoctum valdè sudoriferum, imo vel in spumam deponit] tota substantia agit in sanguinem lue Venerea infectorum, tota substantia corruptum. Vid. in hanc sententiam Anonymi in Dodonæum [quem nonnulli PETRUM HONDIUM esse volunt,] appendicem pag. m. 1461. in qua hæc occurrunt verba: **de Olien dar uyt [namelick Pockhout] ghedistilleert/ende het Sout/ende het ghedistilleert Water nuorden van de Alchimisten oock veel gheacht: uuant sy segghen dat se de vorsende ghebreken veel bequaemer ende haster ghenesen konnen/dan het vvater daer dit hout alleen in ghesodenis.** Næ ergò quod mihi probandum erat, rectissimè consulitur febri petechiali laborantibus, si eis salia volatilia, aut herbas eis prægnantes, usuque aut experientia probatas, ut sunt v. g. Carduus benedictus, veronica, absinthium, centaurium, scordium, ruta &c. ad unam omnes, nulla excepta, calidas herbas commendemus, ceu febri aut morbo huic contrarias, abstinentes validis purgantibus?

§. 71. Tantum ergò abest, ut vel RULANDUM vel me hoc nomine quis jure postulare possit, quod spreta M. M. Medicinam exerceamus, cujus sumus observantissimi contraria, contrariis tollentes. Verum docendus videris, & quidem ex GALENO nostro, quid sint contraria, aut potius quomodo in Medica schola, hæc vocabula accipi debeant, ut desinas me lacessere. *Nam sive dixerimus absoluto sermone* [GALEN. inquit Tom. 6to. M. M. XI. cap. 2. pag. 265.]

febrem per contraria sanandam esse, sive adjecerimus, per ea, quæ contrario sunt temperamento: nulla pugnantia in sermone erit. Similiter nec si per frigida sanandam febrim dixerimus. Sed nec si dividentes id dicamus, aliquando sanare nos febrem per ea, quæ actu frigida sunt, aliquando per ea, quæ potestate, aliquando & per ea, quæ ex accidenti refrigerant; aut etiam ista conjungentes, nulla pugnantia cum iis, quæ dicta sunt, in sermone erit. Pari modo nec si quis dicat, quæ actu, potestate, vel ex accidenti calfaciant, ea febres deteriores reddere, quàm prius fuerant. Contra quæ actu, potestate, vel ex accidenti refrigerent ea febres sanare. Qui postea *eodem libro Cap. XII. p. 276. B. Tom. VI.* longè latius contrarii vocabulum apud HIPP. & PLATON. quam apud ARISTOT. extendi docet, dum ita inquit: *Non enim in corporum modo qualitate, verum etiam in quantitate, ejusmodi contrarietatem invenias, quam utique Aristoteles oppositionem vocat, non contrarietatem. Neque enim magnum parvo vult esse contrarium, sed in eo quod ad aliquid dicitur, oppositum, neque multum pauco, sed nec rarum denso, neque relaxatum contracto, neque ipsi quod secundum Naturam est, id quod præter Naturam est. Verum Hippocrati omnia id genus contrariorum habent appellationem, sicut etiam Platoni, qui generationes ex contrariis esse dicit.* Hactenus GALENUS: Quæ illius loca de cathedra disputaturo instar umbonis solidissimi inservient, ad excipiendas multas cathedrarias & scholasticas objectiones, imò vel illi erunt instar acinacis ad discindendos, Gordio nodo similes intricatissimos nodos.

§. 72. Attamen licet ex parte tibi satis fecisse videar scire adhuc discupis, cur adeo averser una cum RULANDO purgationes, & præsertim validas; & mox tibi satisfaciam, qui non diffiteor, me ne lenes quidem purgationes in hac vel ulla continuatarum specie febrium, sed solum clysteres imperare aut commendare solere. Venæ sectionem vero, seu tutum & Synocho contrarium esse remedium, usque dum adhuc omni suspicione malignitatis caret extra omnem controversiam est positum. Quid quod RULANDUS *in lue Ungarica Cap. VIII. Quæstio. XIV. pag. 221.* (Qui cum SENNERTUS *de Febribus IV. p. 553.* itemq; *Instit. Med. V. Cap. 17. part. 2. sect. 1. pag. 1167. facit*) in lue Ungarica & febribus malignis, apparentibus jam exanthematis aut maculis, venæ sectionem instituendam præcipiat. Eruditè quoq; de hac quæstione aut controversia celeberrimus LAZARUS RIVERIUS *meth. curand. feb. sect. 3. cap. 2. pag. 182. 183.* disseruit, admonens semper ut virium habeatur ratio; cui omninò consentio. Sed diversus ab eo abeo, quod putat, ab ea venas in se concidere, ac nonnullas laxari ac coarctari, ut melius sanguinem in iis relictum continere, ac ut ille loquitur *regere valeant*: cum meo arbitratu, per venæ sectionem tempestivam & moderatam, arte obtineatur, ut ritè sangvis circulari queat, nec *haustra* aut *excipula* Venarum, justo diutius, illius motum in iis retardent aut remorentur; ac per consequens, is variè, in venis variis non corrumpatur. Verum facilis ero in verbis, cum in re ipsa, inter nos invicem convenire videamur. Hinc ut idem *eruditissimus* RIVERIUS *l. c. p. 189.* docet: postea usu venit, ut sæpè, paucis post venæ sectionem horis, copiosos sudores eosque

eosque criticos ac salutares erumpere, conspiciamus. Dexterrimè etiam, si quisquam, de venæ sectione in febribus malignis instituenda ANTONIUS MENIOT, *Consiliarius & Medicus Galliarum Regis*, judicat, dum *in tract. suo de feb. malign. hist. & curat. pag. mihi* 83. illamq; maximo commendat opere, illam contra decreta Veterum capessamus præcipiat, ceu quorum ævo ἐν γάλαξι καὶ ἐν σπαργάνοις *in lacte ac fasciis*, quodammodo, Medicinam adhuc versatam dicit. Certè, meretur hic author Medicinæ Candidatis ut commendetur, ob rationes quas adfert, salem habentes; Videant quoque in hanc sententiam FRANCISCI RANCHINI tractatum eruditissimum, *de morb. puer. sect. 3. cap. 1. pag. mihi* 275. *B.* qui æquè ac DN. MENIOT, in augmento febrium malignarum, & apparentibus jam maculis, in natu majoribus, venæsectionem imperat; imò in quibusdam casibus, ubi pueruli, jam variolis ac morbillis laborant, venam illis incidendam suadet; quò praxin medicam capessentes, calumniam malevolentium, & eorum, *qui nihil nisi quod ipsi faciunt, rectè factum putant*, retundere: aut etiam eos refellere valeant; qui capital fecisse Medicum putant, ubi in dictis casibus, venam inciderit; & ex hac tribu sunt ii, qui libros medicos ita inspiciunt, ut *Canis è Nilo bibit*; ac mox se circumspiciunt, putantes, Cœlum se posse digito tangere, aut certò jam se aptissimos esse, scilicet, ut disputare de apicibus Medicinæ queant. Non; non; sic itur ad Astra; non; imò toto errant cœlo; quos morigeros esse HORATIO, deceret, præcipienti: quod, Medicorum est, Medici tractent, ac fabri fabrilia. Sed *indelebile vitium esse, vehementem ignorantiam, præsertim si cum superbia sit conjuncta*, vel olim GALENUS noster, *M.M.XIII. Cap. XIV. p.* 327. *B. Tom. 6.* conquestus est; quod & Lucianum malè habet, dum apud ipsum statim in initio, *de non temeri credenda calumnia, p. mihi* 561. *A. Tom. 2.* hæc verba leguntur: *Mala res est ignorantia, & multorum malorum hominibus causa, quæ non solum rebus humanis, veluti caliginem quandam offundit: sed etiam veritatem obscurat, & privati cujusque vitæ umbram obducit.* Sed ad rem. Præfiscinè dixerim: Omnes eos, oleum camino addere, qui valida purgantia, in febribus continuis, maximè vero, ubi vel minima suspicio malignitatis ingruit, imperant: Quod cum nec fugit (ut ex prioribus notum, vid. §. 58.) Celeberrimum RULANDUM, procul ea arcere, ita ut nobis illorum usum, omnimodè interdicere videatur. Consule quoque hic alios Medicinæ Practicæ Doctores, illorumque observationes medicas, & doceberis febri maligna laboranteis, ut plurimum inauspicatò, purgarier; vel per pauculos ex iis, qui sinistrè purgati sunt servatos esse, & quidem ob Naturæ robur observabis. Nec per rerum Naturam aliter fieri potest? Quid enim purgatio aliud, quàm artificiosa humorum turbatio, & fermentatio, [quod liquidissimis verbis, optimis intervenientibus rationibus, Præceptor noster SENNERTUS *lib. V. Instit. Medic. par. 1. sect. 1. cap. XI. p.* 951. nos docet] Quamque sex vel septem granula v. g. resinæ Scammonii, gialappæ &c. satis vehementer, sæpiculè etiam enormiter ciere possunt, ceu quæ

ceu quæ in tam parva quantitate, tota substantia agentia, instar veneni alicujus mitioris, seu potius ut *Celeberrimus & Felicissimus Practicus*, FELIX PLATERUS. *Quæst. Therap. LXXXVI. pag. m.* 214. loquitur: *sua cathartica vi, nobis adversa, semperque inimica qualitate*, die haustæ purgationis nos ita exagitant, haud aliter ac si febricitemus; unde pulsus celeritas advertitur; vomituriones, sitisque nobis molesta sunt, quæ inter alia signa, propria esse veneno hausto perhiberi solent; ne dicam, cardialgia eodem die nos corripi sæpiculè. Qui vero quædam horum vel his similia patiuntur, vel quibus purgantia hypercatharsin excitant, iis deinceps, ut ubi iteratò purgabuntur, nunquam rectius consules, quàm ut Scammonii Gialapp. Turpet. & similium resinosorum loco, iis infusum ex Senæ foliis, Rhabar. myrobal; aut ex Cassia, vel tamarindis solum pares: certè quædam individua, neu Senæ, foliorum, neu Cassiæ, neu Mannæ denique, usum ferunt; quibus jam morbidis aut potius ipso actu febricitantibus (quamvis quandoque, adeo mitis & blanda febris appareat, ut neu ægri ipsi neu Medici eam formident) si nominata purgantia, aut alia ex purgantium arculis deprompta, propinaveris quacunque forma præparata, eo animo, ut febris dolosæ & fraudulentæ (cujusmodi hoc An. 1677. irrepere, ac grassari hic Haffniæ incipiunt) in visceribus nutritioni dicatis, delitescentia fomenta prolicias aut per alvum extrudas; proh! ut pessimè illis consulitur? Quod enim funis militaris aut fomes igniarius incensus & fumās (eine brennende/glühende/oder schwälende Lunte) cuniculis actis, dolosè recondito pulveri tormentario est; id purgantia etiam mitissima, ejusmodi individuis sunt. Nam ut funis ille, licet vix digitum crassus, potis est tamen incendere universum pulverem tormentarium, sive in cuniculis, sive speluncis reconditum; qui incensus terram loco movet, omnia concutit, disjicit ac subvertit; sic purgantia minima in dosi, & præsertim in febricitantibus, ita exagitāt, fermentant, & corrumpunt, quandoq; universos humores, ut Natura iis cedere cogatur; Simile huic malum, cum Patritius quidā Romanus perpessus esset, dum fortè Medico non consulto, præservationis causa, pharmacis ciere corpus haud auspicatò instituisset; ac advertisset, sibi vita tanquam ex scena excedendum esse jam moribundus jussit (ut ab Illustri quodam Heroe, Mæcenatum meorum aliquo accepi) ut sibi post obitum marmorea Statua, hac inscriptione poneretur:

Per voler' star meglio, sto qui,

id est,

Quod melius stare volebam, hic sto.

quasi dixerit, peracta vitæ fabula, pausam hic facio, verbo ego dicam: *Mortuus est* sed posthabito exotico hoc exemplo, domesticum & satis lugubre nobis exhibuit, Vir Clarissimus SEVERINUS PETRI Philosophiæ practicæ P.P, dum proprio ausu,

prio ausu, inscio Medico specierum Diagialapp. specif. Soceri mei p.m. JACOBI FABRICII Scrupulum sibi propinarit, à cujus usu gravissimis Symptomatis infestabatur, quæ mors insecuta est. Cujus exempli historiam, cum suo more, id est accuratè in Commentariis, *Hist. Anat. ac Medicarum Cent. 5. Histor. 23. pag. 139.* Celeberrimus noster BARTHOLINUS pertractavit, nolo hic actum agere. Vid. quoque insuper in hanc sententiam, ejusdem *Cent. 3. Histor. 93. p. 186.* Hæc ergò & similia exempla faciunt, ut meritissimò, præsertim in continuis, & synochis febribus purgantibus abstineamus. Et quid tandem Febris Synochos aliud, [eam enim potissimum hic intellectam volo] aliæque febres, quàm p. n. ζέσις, aut ebullitio sangvinis, fermento febrili ipso, sæpè adhuc in ventriculo hærente? Pulchrè ergò, sed scilicet, per fermentationem purgantis, ebullitioni sanguinis medeberis [*Experimentum autem periculosum & ipsum, materiæ ratione*; GALENUS noster diceret, quem vide in comment. lib. 1. apho. 1. Hipp. pag. 8. Tom. 7. *neque enim lateres, lutum, ligna, lapides, tegulæ, coria, artis medicinalis, ut aliarum, materia sunt, in quibus experiri, & exercitari multis modis impunè licet illi, qui se circa materiam exerceat, & artis theoremata meditetur: id quod in lignis carpentarii, in coriis coriarij faciunt. Ligna siquidem & corium malè tractantem corrumpere, nullum periculum est: at in corpore humano illa experiri, quæ non sunt experientia comprobata, non est citra periculum, cum mala experientia ad totius animalis interitum terminetur.* Hæc GALENUS.] Et sic quod dicitur, albo lapidi aut parieti, alba amussis. Contrà cùm, accurato judicio interveniente, omnis sit movendus lapis, ut gliscentem, in synocho, ob hanc sangvinis ζέσιν, malignitatem sopiamus: aut quoniam id perdifficile factu est, in morbo malignorum morum, id studebimus unicè, ut actutum fermentum omnimodè [quod sæpe per exiguum, ut jam dudum in Παρεκβάσει hac mea §. 11. demonstratum est.] expellamus; vias verò Celeberrimus RULANDUS loco superius §. 59. citato apertè nobis, simulq; ejus expellendi modos delineavit, quamvis paulò inferiùs adhuc iteratò de iis agetur.

§. 73. Ut taceam celeberrimum quoque Practicum JULIUM PALMARIUM *de Febr. pestil. l. cap. XII. p. m.* 407. angue & cane magis fugere videri purgantia in morbis malignis & petechialibus febribus, inquientem: *Blanda etiam sunto cathartica, quæ pestilenti constitutione* [Nolo hic verba captet λογομάχος; pestis enim & febris pestilens differunt solùm secundùm magis & minus.] *præscribuntur. Nam effrænata si sint, humoribus violentiùs exagitatis, spiritibusque vel confusis, vel exhaustis, corpus præparant ad pestem. Omnium pessimum videtur scammonium. Quippe venenata ac malefica labe os ventriculi oblædit, & vi effrænata vires omnes resolvit, dissipatque spiritus,* &c. Sed quam PALMARIUS, in scammonio, catharcticam qualitatem, appellat venenatam ac maleficam labem, eam non solùm scammonio, sed omnibus catharcticis esse propriam, imò necessariò in iis requiri, perdoctis rationibus Quæst. Therap. XCIV. p. 272. celeberrimus Practicus FELIX PLATERUS evincit,

 dum scri-

dum scribit: *sciendum catharcticis omnibus vim quandam inesse (præter acrimoniam & caliditatem) nauseosam & Naturæ nostræ infensam, quæ excitat Naturam ad expulsionem, primariò ipsius catharctici, secundariò verò humoris peccantis, & hanc qualitatem nauseosam, si à medicamentis omnino dempserimus* [quod vel asterisco notandum] *nihil omninò; si ex parte: imbecillius purgabunt (quod sæpe per præparationes chymicas in his & aliis medicamentis fit) & hinc piper, &c. non purgant, quia vim Naturæ inimicam illam*[i. e. ut Galen. loqui solet tota substantia agentem] *in sua mistione non sunt sortita; quamvis & hæc in nonnullis temperamentis, paulò largiùs sumpta, diarrhœas excitent.* Hactenus PLATERUS. Et nonne expressum textum in omnibus acutis morbis observandum [quibus meritò blandè maligna & subdola mitis petechialis ideò annumeratur febris, qui FRACASTORIO & experientia ipsa testibus, ea ad statum in aliis septimo, in aliis ad quartum-decimum, in aliis & ultra; addo ego vigesimum diem, ut, qui terminus acutorum est, pervenire solet.] Aphor. I, 24. apud Hippocratem habemus, qui vult, Nos in acutis passionibus raro & in principiis medicinis purgantibus uti, & hoc cum præmeditatione facere debere? Hinc GALENUS *in Comment. p.* 38. C. si usuri simus medicamentis purgantibus in acutis morbis, circa principia statim, vel circa primum diem, ea esse usurpanda, vel nō esse ultra secundum protollenda, præcipit: *Neque enim minimum periculum est,* [inquit] *in morbo acuto uti purgante medicamento, cum omnia id genus medicamenta sint potentia calida, febris verò quatenus febris est, & sui ratione, non calefacientibus atque exiccantibus, sed potius contrariis, hoc est, humectantibus & refrigerantibus egeat. Non igitur ob igneam febris caliditatem, purgationem adhibemus (hanc enim scimus sui ratione nocituram) sed propter humores illam efficientes. Quare majorem oportet ex noxiorum humorum evacuatione fieri utilitatem, quàm id quod necessariò consequitur ex purgantibus medicamentis detrimentum: erit autem utilitas major, si absque molestia omnis humor noxius & infestans evacuetur.* Hactenus GALENUS. Mea ergo hæc est ratio: *impossibile esse, ut in petechiali febri per purgantia absque molestia omnis humor noxius & infestans* [quæ non perperam accipi volo, cùm fermentum febrium antidhac, sæpe perpusillum esse defenderim] *evacuetur.* Nam, si vel tantillum aut granulum solùm unum itemque alterum fermenti febrilis hæreat in visceribus imi ventris, vel jam transierit in massam sangvinis febrim synochon causans, adeoque in corpore nostro alicubi delitescens relinquatur, nunquam per purgantia continuè febricitanti, ex sententia medeberis. Hoc ergo qui non attendnnt, næ illi, ut ex PLINIO libro. XXIX. Nat. H. c. I. pag. m. 1278. loquar: *Discunt periculis nostris, aut experimenta per mores agunt;* aut illos, quos Naturæ robur servaret, per temeritatem aut artis imperitiam, Orco mactant?

§. 74. Cæterum quis Medicinæ Candidatorum dixerit: negandum deinceps non esse, quin cùm summo vitæ periculo conjunctum sit, si instituantur in febribus malignis purgationes, studiosè addo ipsus, fortes & validæ: sed notum esse, tam illa medicamenta, quæ adversus febres, quàm quæ adversus

venena

venena commendantur, sæpe sibi è diametro esse contraria; quod sanè mirandum. Sic est, & reverà se res ita habet. Cur? Quia quædam antefebrilium medicamentorum non per indicationes, sed per experientiam, aut empiriam inventa sunt. Atque cùm modus corruptionis sangvinis nostri in febribus & præsertim malignis & petechialibus [Non enim in me recepi velle de intermittentibus ex instituto agere.] oppidò variet, & veluti eludat solertiam Medicorum. Hinc usu venit, ut cùm intermittentes, tum maximè malignæ & petechiales febres, ubi ad antefebrilia & specifica dicta pervenitur, usque adeò curatu quoque difficiles sint, ut casu potius quàm ratione curentur. Causa autem, præter illam, quam de sangvinis corruptione attuli, hæc est: quod Febris nulla, sine fermentatione aut ebullitione existat, ut ex prioribus notum. Hinc, si v.g. Nux moschata, alumen, tormentillæ pulvis, aut antefebrilis Crollii, ex longis testis cochlearum cum aceto vini paratus, margaritæ, corallia, lapis Bezoar, lapides pretiosi & his similia simplicia, febricitantibus, propinentur, quandoque accidit, ut febris desinat. Cur? Quia ζέσις aut ebullitio illa, per ea ita sistitur, æquè ac ardorem stomachi, **oder die Sood** usu solius simplicis cretæ pulveratæ sisti novimus; in quem finem HADRIANUS à MYNSICHT *Sect. VIII. Armamentarij sui Medico-Chymici pag.m.168.* Morsulos diacretæ dictos parat. At si simplicia hæc, ad rationis stateram examinaveris, & exiccando, & partibus suis terrestribus, id agere, quod agunt, vero maximè videtur simile. Frustra enim omnes illi sunt, qui putant, hæc & similia, ideò propinari febricitantibus, vel ut per se sudorẽ moveant, vel ut Cor corroborent. In quo errore versari, quàm plurimos observare licet, qui proin hinc ad Celeberrimũ FELICEM PLATERUM *Quæst. Therap. XCI. p. 261.* sunt ablegandi, ut hujus subactissimi Viri judicii, & dexteritatis summæ, censuram audiant, cujus hæc sunt: *Quæ ex metallis & lapidibus purißima habentur, aurum, gemmæ, uniones, corallia, &c. nullam violentiam assumpta vel admota exerunt, quia purißima, terrestreitatis tamen participia insigniter siccant, hinc foris applicata, ulceribus medentur, oculorum vitiis, cutis maculis, dentibus scabris vi exsiccatoria prosunt, ut docet Dioscor. uti & assumpta vel injecta, internas exulcerationes sanant, humiditates absumunt, proinde in dysenteria, phthisi, ulceribus vesicæ & uteri, commodè præscribuntur. Hæ sunt pretiosorum horum vires manifestæ, quas & experientia dictat, & ratio comprobat, neque confortatione ulla alia ea nos roborant, nullo sapore, nullo odore prædita, quibus substantiam deperditam restaurent, vires reficiant, secus ac moschus & ambra, quæ duo pretiosißima quoque, ut ad voluptatem, & luxum incommodè, sic utiliter ad restaurationem adhibentur, odore insigni efficaciam prodentia. Proinde aurum, gemmasque siccandi vi pollere, eaq; in variis prodesse morbis, non autem in restauratione ea præstare, quæ fabulantur, asserere non dubitamus, & simul monemus, ne temerè quis fidat iis, qui vanis promißionibus, vires corporis & sanitatem pollicendo auro gemmisque, loculos interea exhauriunt,* &c. Quin & Idem, cùm hoc paradoxon de antefebrilibus, non tam rationibus, quàm usu & experientia, vel antiquandum vel decidendum

cidendum sit, & hæc notatu dignissima *p.* 258. tradidit inquiens: *Si enim experientiam objiciant, possum hoc apertè fateri, multa expertus & ipse, nunquam me aliquid tale deprehendisse, neque deprehendisse etiam alios, nisi fortè si quid casu acciderit*, [adde, cùm v.g. coralliis, margaritis, lapidi Bezoar; vel C. C. philosophicè præparatum, vel Unicornu Grönlandici crudi ramenta scalpello lævigati, non scobina descobinati; vel theriacam, Mithridatium, & similia remiscueris, imò insuper & in aquis valde tenuium partium & sudoriferis v. g. Cardui benedicti, calendulæ, scabiosæ, fumariæ aut similibus propinaveris] *illud gemmis adscribamus. Nec enim video Regibus aut aliis ditioribus vitam prolongari præ cæteris, illorum applicatione aut usu. In virium restauratione & confortatione, unicum vini haustulum, brodioli exhibitionem, odorem aceti in deliquiis, micam panis, &c. plus efficere ajo, quàm si quis auro penitus obruatur.* Hactenus ille. Ipsus quoque qui per quadraginta & septem annos praxin medicam, DEI Gratia, exercui, fidem meam testor, me omni illo tempore, ne quidem unam itemque alteram Drachmam aut certò non unciam integram lapidis Bezoar, omnibus quotquot liberaliter servii ægrotantibus, præscripsisse, & tamen, DEO benedicente, operi manuum mearum, aliquam multos à morbis malignissimis vindicasse: Quod meum institutum, alio quoque loco, nempe in historia Aconiti Pardalianchis Class. pr. Quadripartiti mei Botanici secundæ editionis, cum novellis Practicis in multorum salutem & commodum, communicare volui, non solum in hanc sententiam post lectionem summorum Medicorum temnentium usum lapidis Bezoar uti sunt, *Alexander Massaria, Franciscus Valesius, Theodorus Angelutius, Martinus Rulandus, Hercules Saxonia, Casparus Bauhinus, Casparus Hofmannus*, quibus jungo cis pauculos annos Romæ editum *Nardum Antonium Recchum* deveniens; sed etiam in ea auctoritate vivorum Præceptorum, Rosciorum quoque in arte Medica, Soceri mei. p. m. *Iacobi Fabricij* & illius, Regis in aula antecessoris p. m. *Henningi Arnisæi*, confirmatus. Sed revertor ad priora.

§. 75. Cùm ergò ζέσις illa à febrili fermento excitata, in febribus malignis longè dolosior & occultior, quàm in tertiana esse advertatur. Hinc quoque in ea longè fructuosiùs recensita simplicia, ad fermentum illius figendum aut ζέσιν sistendam, quàm in malignis febribus propinantur. Hæ quippe occultiùs quidem ad statum, ut paulò antè demonstravi; attamen celeriùs properant. Hinc quoque ocyùs in illis, quàm in tertiana, inducias concedente nobis, ex visceribus fermentum febrile in venas: vel aliunde nobiscum communicatum μίασμα contagiosum, ex capillaribus & cutaneis venis & arteriis, in majores rapitur; & per consequens, quia principium in malignis febribus velociter transigitur, parùm vel nihil, recensitis ante febrilibus, exiccandi vi solùm præditis, quoque efficies. Segniùs enim agunt crassarum partium, quàm ut

febribus

febribus his, resistere ea queant. Quid quod hæc & similia, ex accidenti quoque solùm, cordialia sint appellanda? quamvis Præceptor noster DANIEL SENNERTUS diversus à PLATERO abeat, ac non solùm iis Cor corroborandi, sed quoque, & præsertim margaritis, ac coralliis, alexipharmacam facultatem, liquidissimis his verbis *Pract. Med. VI. c. 6. P. 5. pag. 252.* tribuat, dum inquit: *Equidem & cordialia omnia in morbis venenatis sunt utilia; cùm Cor corroborent, ut veneno faciliùs resistere possit: ipsum tamen venenum non adeò expugnant, sicut alexipharmaca propriè dicta, qualia sunt: margaritæ, corallia.* Hactenus SENNERTUS. Nihil enim aliud, meo arbitratu, hæc & similia agunt, aut præstant, quàm quod innui; nempe ut ebullitionem sangvinis concitatam, sistant si possunt, quâ cessante, sangvinis circulatio in corde suum officium ritè facit, & cor, hoc in casu, aliis cordialibus nō indiget, suppar sibimet ipsi gignēdis spiritibus; at secus si accidat, ac malignitas accesserit, syncope cardiaca supervenire solet, de qua superius actum est: cujus aut potius in genere aut simpliciter sic dictæ, cùm commodam satis descriptionem nobis dederit, oppidò instituto meo congruentem, & illustrantem ARETÆI de Syncope dogma; vid. paragraphum 26. hujus meæ digressionis. Incomparabilis HOFMAN. placuit, vel hic loci eam intercalare, quæ hæc est: *Syncope, ex corrupto sangvine, non est à frigida cordis intemperie: sed à vapore illo, qui tota substantia est alienus à natura cordis, adeoq; non refrigerante, sed comprimente, & compressione sua obstruente orificia vasorum cordis, quo minus fiat caloris distributio. Est igitur in extremis frigus privativum.* Vid. HOFM. Animadv. in Montan. cap. VII. §. 21. pag. 84.

§. 76. Porrò cùm ob sangvinis serique, *quod alimenti ultimi, imò ipsorum ossium & medullæ*, vid. HIPPOCR. *de Aliment. p. 360.* vehiculum audit, aut partem illius participat, variam corruptionem accidat, ut vel recensita, vel recensenda antefebrilia in febribus malignis frustra plerumque propinentur [quod pace aliorum & sine illorum ingratiis affirmaverim] nonne rectissimè illi ægris consulere videntur, cùm probatum sit validorum purgantium usum esse noxium, qui vomitoria, usu probata nec nimis vehementia, habito delectu individuorum, à prima statim morbi invasione imperant? Quos inter primo loco prodeat RULANDUS, qui *cap. VI. de L. Ungar. p. 80.* hæc nos docet: *Qui sunt εὐέμετοι & ad vomendum faciles, viriumque robore adhuc valentes, citiùs à fomite malignitatis liberantur, minusque periclitantur sævitia luis vomitorio accepto. Hoc enim exturbatur prava humorum congeries, ut plurimum principium malignitatis pessimæ (cardialgia plerosque infestante, locupleti teste) suscitantium sine magna virium jactura, minoreve humorum exagitatione, quàm dejectoriis etiam mitioribus.* Hactenus Ille, cujus ultima hæc verba in animo Medicinæ Candidatorum, praxin auspicaturorum, scripta esse velim. Post RULANDUM fas est, præ aliis multis Practicis celeberrimis, cùm Marpurgensis Academiæ Professoris ac Principum Hassiæ Archiatri JOANNIS HARTMANNI, tum trium Romani Imperii Imperatorum Medici JOANNIS CRA-

TONIS à KRAFTHEIM authoritatibus hæc confirmare: quorum Ille Prax. Chymiatr. pag. m. 389. hæc habet: *In febribus malignis curandis, feliciorem modum invenire fas non est, quàm qui à vomitione incipit, & per media necessaria tandem inconfortantibus desinit*; Hic verò CRATO nempe *Consilio CCLXXV. pag. m.* 807. in eum finem flores antimonii albos summoperè commendat; à quibus nec Celebratissimus SENNERTUS *de Febribus IV. c.* 14. *p.* 552. diversus abit. Quin nec aliam, quàm modò recensiti auctores commendant methodum curandarum febrium malignarum, quoq; Duorum Potentissimorum DANIÆ REGUM, CHRISTIANI QUARTI gloriosissimæ memoriæ, ac FRIDERICI TERTII, Regnantis; vivat! vivat! triumphet! acclamo, medicus, jam p. m. venerandus senex, Socer meus JACOBUS FABRICIUS instituere vel sequi solebat. Sed quilibet abundet suo sensu & vel utatur, vel non, vomitoriis, per me licet. Non enim ego mihi protervè dictatoriam authoritatem arrogabo, interim: *Mihi sic est usus: Tibi ut opus est facto face.* Ego cum Menedemo Terentiano dico; simulque ingenue fateor, me, ut semper à primordiis praxeos meæ Medicæ aversatus sum Gillam Theophrasti, Mercurium vitæ, & similia valida vomitoria, ita DEI gratia, aqua benedicta RULANDI, nec non oxysaccharo ANGELI SALÆ, Amici desideratissimi, citò, tutò, jocundè cum tertianas, tum malignas febres sæpiculè abegisse: non neglectis corroborantibus, ut monet HARTMANNUS, nec alexipharmacis, quæ alii practici passim commendant. Sed vomitoriis, aut eorum usu relictis, de aliâ adhuc antefebrilium specie dicendum restat.

§. 77. Ea verò contraria sunt prioribus antefebrilibus impensè terrestribus & siccantibus, & vulgò quoque magis quàm dogmaticis Medicis usitatiora, quæ hæc sunt: piperis sc. genera, Zinziber, vinum adustum, vinum absinthites & similia, quibus per empiriam quoque feliciùs tertianæ, quàm continuæ exstirpantur. Cur? Quia ex accidenti ab usu horum medicamentorum vomitus cieri, camarina vel saburra ventriculi, sub paroxysmum commota, atque ita unà fermentum febrile excerni solet, vel ratione robustiorum individuorum per calida & diuretica hæc, idem fermentum ad vias urinarias deducitur, aut abripitur ocyus, quàm ut massam sangvineam universam inficere possit; quæ contra, in continuis febribus & nullis induciis intervenientibus, facillimè corrumpitur. Si verò ad vias urinarias fermentum & abripiatur, & turbidæ malè coloratæ graveolentes urinæ mingantur, plerumque febris levamen eædem portendunt. Hæc ergo cum ita se habeant; Quis deinceps, ubi vomitoriis locus non est, potius non eliget in febribus malignis diuretica & sudorifera certa, quàm ut vel sexcenta incerta antefebrilia dicta, eventu vel nullo, vel dubio periclitetur? Quare *Celeberrimi* RULANDI, nunquam satis laudata solertia, magis ac magis confirmari meretur, quòd, post DEI benedictionem in hisce & in specie salibus, omne præsidium adversus febres malignas, petechiales, aut in Lue

Unga-

Ungarica collocari videatur. Sic sal, aut lapis prunellæ præterquàm, quòd ζέσιν sistit, insigne est diureticum: Balsamus sulphuris ζέσιν quoque sistens excellens est sudoriferum; utraque verò adversus pestem, & malignas febres decantatissima sunt remedia. Sed quia illorum aliorumq; alexipharmacorum jam dudum facta est mentio, pro in iis excutiendis non inhærebo diutius, modum traditurus, & eundem ob oculos veluti positurus, per quem vel solius Naturæ motu, in cute nostra maculæ erumpunt, vel adjuta alexipharmacis, & sudoriferis, cutis nostra iis obseratur iterumque emaculetur.

§. 78. Modus hic est: Natura vel lacessita, vel adjuta alexipharmacis, sibi noxium & tota substantia, plus minùs, corruptum sangvinem expellere pertentat; quod dum facit, vero mihi fit simile, idem sangvineæ massæ accidere, præsertim ad anastomoses venarum, & arteriarum, manuum pedumve, quod flumini frigore conglaciato acri soluta hyeme. Nam ut glacies tunc temporis, Solis calore blando & miti liquefit; ita Natura à febrili calore inspissatum ac lentescentem in venis, ac veluti ob salis copiam in extremitatibus manuum pedumve coalescentem sangvinem, beneficio ignis animalis, seu calidi innati, præsertim post morbi statum, defervescentis nec ampliùs ita p. n. ut anteà urentis [vide de hoc loquendi modo *Incomparabilem* CONRINGIUM *de Calid. innato cap. VI. p. 46.*] morbum superatura fundit; & ut torrens aut flumen secundo flumine, rapidè & frustratim glaciei fragmenta abripit; ita sangvis in venis, Salis p. n. fixi redditi, portiunculas quæ maculæ sunt aut maculas constituunt. Unde non mirum, si Natura ab usu Alexipharmacorum aut sudoriferorum, ex mineralium, vegetabilium & præsertim animalium genere paratorũ, salibus volatilibus abundantium, magis vel minùs, serius vel ocyùs, sensim vel ἀθρόως, pro subjectorum diversa temperie, petechias seu maculas, oppidò ratione coloris, magnitudinis, numeri denique variantes, ad cutem protrudat; quas quidem celeberrimus RULANDUS venarum capillariũ extremitati appingi *l. c. p.* 221. observavit; *sed quæ nihil aliud sunt, quod ego defendi, ut ex prioribus abundè constat, quàm sal seri & sanguineæ massæ, volatile factum; quod per poros cutis exsudans, proxima & unica, ni fallor, omnium macularum parvarum & lenticularium vel etiam magnarum & palmarium,* vid. exempl. §. 13. *in febribus malignis est causa, dum nempe id in cute effloreſcit & iterum in ea figitur, usque dum meliorescente valetudine, id sensim per insensibilem transpirationem evanescit, vel etiam durante morbo aut febri, in atomos visum effugientes resolvitur, quas μιάσματα appellamus, & contagij proxima sunt causa.* Pace verò omnium, Digressionem hanc meam lecturorum fiat, quæso, quòd subinde eadem propemodum inculcare aut repetere videar, quod nemo temerè factum existimabit. Exegit enim id argumenti difficultas, ut identidem sciens volensque eadem repetiverim.

§. 79. Ultimò probandum superest, aut restat, quòd, ob salis fixi, à p. n.

calore ustulati aut exusti, sangvineæ massæ, seu seri unà cum sangvine, copiam in morbis malignis, is secundùm totam substantiam ita corrumpatur, ut sibi totus dissimilis appareat. Id ergo si cum ex GALENI ipsius, tum nuperorum observationibus practicis atque adeò experientia ipsa teste, & magistra optima probavero; denique auctoritate PLATONIS, sub finem hujus meæ Digressionis, meum hoc paradoxon de maculis confirmavero, non Hylam Hylam me inclamasse, mihi omnino persvadeo; mihimet ipsi fiducia causæ æquissimos arbitros promittens, quod Naturæ vocabulo, sæpicule in hac Digressione & quidem ideò, sim usus, ne infinitæ altercationis fenestram ulli philosophantium aperirem facultatum & similium nomen usurpans in modo recensitis Naturæ phænomenis: de quibus aut similibus operibus *alter* HIPPOCRATES *nostri hujus seculi, magnus ille* HOFMANNUS lib.2.Instit. Med.c. 11.§.3.pag. m. 52. ita decernit: *Accedit*, inquit, *quod officia hæc partim publica sint, partim privata; aut quia sensus noster eousque non pertinet, augetur difficultas. Sufficere autem debet bonis vox Naturæ. Fieri utrumque videmus, licèt distincta instrumenta ostendere non possumus.* Idem l. c. cap. XXXVI. §.8.pag.94. *Solliciti*, inquit. *sunt quidam è nostratibus; Quo tempore fiat illa bilis in duodenum expulsio? sive enim fiat ante cibum, sive post cibum sumptum, cùm coctio incipit, sive absoluta coctione, præ foribus sunt incommoda. Expedio me breviter. Quia φαινόμενα ejus rei nulla habemus, sufficere nobis debet vox Naturæ.* Mihi quoque eadem in expulsione macularum sufficit, maximè cùm ipsus HIPPOCRATES Cous VI. Epidem. sect.5.p.1068. Sect. VII. contentus Naturæ vocabulo sit, dum docet: *Morbis Naturas mederi. Naturamque ipsam sibi per se, non ex consilio motiones ad actiones obeundas invenire; eamque à nullo quidem edoctam citra disciplinam ea, quæ conveniunt, efficere; ac lachrymas, narium humorem, sternutationes, aurium sordes, oris salivationem, sputi eductionem, spiritus ingressum, exitum, oscitationem, tussim, singultum non eodem prorsus modo fieri. Considerandum quoque esse, urinæ secessum, & flatum hujusque alterius excretionem, alimenti & transpirationis actionem: & mulieribus, quæ iis insunt, quæque in toto corpore accidunt, sudores, pruritus, pandiculationes, & quæcunque id genus.* Quibus, meo arbitratu, meritissimò macularum eruptiones, sive in maligna, petechiali febri, sive morbillis, sive scorbuto, sive lue Venerea, sive elephantiasi, sive denique gangræna eveniant, de quibus superiùs actum est, annumerandæ sunt. Verissimè enim dictum puto ab præclarissimæ eruditionis Secretario Florentino, MARCELLO VERGILIO in Dioscorid. lib. I. cap. CIV. Commentario pag. mihi 115. *Quod ingeniosior Natura sit, quàm lingva, oculus, & pictura hominis: ne possint extrema illa & exigua rerum discrimina cognosci, & cognita describi*, [quæ transfero ad ναυσιώσιες φλεβῶν: τὸν ἵππον δέρματος, seu palpitationem cutis; & ἀῤῥῆτυς ejusdem mutatas qualitates, extremorumque artuum] *præsertim paucioribus toto aliquo seculo hujusmodi observationibus, nec eodem modo eadem tradentibus* Næ ergo iterum pulchrè & prudenter HOFMANNUS in Præfatione de Formar. Origine ad ADRIANUM SPIGELIUM de his similibusque Na-

que Naturæ operibus dijudicat, inquiens: *Præsuppono rectè institutum esse, & nosse in reprobabili probabilem sufficere rationem, quando Mathematica certitudo in naturalibus locum non habet: quin hominem se esse juxta mecum, ut, si non omnino falsa afferantur, judicium per agatur ex æquo & bono. Sed neque prohibeo, quo minus totum negotium sub incudem revocetur. Fortaßis enim, ut cum* GALENO *loquar, vera sunt, quæ attuli: fortaßis non ita, ut veriùs quid inveniri poßit.* Hactenus ille. Cui omnino quidem hic loci subscribo, attamen inferius §. 84. exhortans physicos ad mathematicas speculationes; ut indagent salium differentias. Sed jam servanda fides, ut authoritate GALENI aliorumque mea confirmetur sententia.

§. 80. Author verò est, & testis GALENUS noster *Comment. III. Epidem. VI. text. 29. p. 675. Tom. 3.* se extenuatissimæ non ignobili mulierculæ post octo mensium menstruorum suppressionem, secandam curasse venam, *quoniam scilicet ipsius venæ eminebant sangvinis plenæ, colore lividæ, cui ex rescisso vasculo liquidæ pici & colore & craßitudine similis sangvis emanavit.* In quem locum, qui volet Eruditissimi & Leydensis Academiæ Ornamenti maximi, Celeberrimi JOHANNIS ANTONIDÆ VAN DER LINDEN Selecta medica, & ad ea Exercitationes doctissimas in Mantissa Oeniad. §. 129. pag. 644. evolvat, qui decernit ideò pici similem, & colore & crassitudine apparuisse illius sangvinem, quia ille sero, sangvinis vehiculo caruit, & cui similem ego antea ad lentescens & corruptum vinum, vel etiam olei strigmenta cōparavi. *Talem autem*, inquit VAN DER LINDEN, *ardore fieri, non subito, sed paulatim depascente quicquid est chymosi in massa* & paucis intermissis §. 132. p. 645. apertissimè, quod volo, Idem defendit, inquiens: *Piceus verò sangvis non fit, nisi cum igne uritur occulto, quasi cineris dolosi. Tunc verò nigrorem concipit ex ustione biliosi: lentorem verò, ex siccatione fibrosi, quod est in Sanguine:* quod pluribus in Digressione hac mea & passim demonstratum est. SPIGELIUS loco superius §. 16. citato quoque nonnullos refert à potu frigidæ post vehementes corporis motus & exercitia protinus suffocatos fuisse, cardiaca & syncope gravissima supervenientibus. *Arteria enim refrigerata valdè sangvis coagulatus est, tam is qui in aorta fuit, quàm ille, qui in Corde stabulatur. Vidimus enim secta vena sangvinem his crassum ac frigidum nec nisi maxima cum difficultate prodiisse*, unde & presentius remedium iis non invenimus, quàm ea sunt, quæ ob tenuitatem partium grumos sangvinis dissolvendi vim habent. Quid quod *Incomparabilis Anatomicus, Pater ac Princeps Anatomicorum, Præceptor meus ætatem colendus*, JOAN. RIOLANUS in Encheirid. suo Anatomico II. c. 27. p. 142. testetur, *Se aliquoties vidisse in febribus ardentibus malignis, concretum sanguinem intra venas, instar medullæ sambucinæ*; cui similem me sæpenumero ex venis malignè febricitantium collegisse quoq; sanctè affirmare possum; adeò verò dissimilem florido & naturali sangvini, vix ut duodecima illius pars sangvinem eumque crassum, fœculentumque repræsentarit, valdè tenacem & glutinosum, sero omni

carentem ita ut rotare vasa & invertere, quibus exceptus erat sangvis, potueris; vide etiam suprà in hanc sententiam §. 14. Jo. FERNELIUS verò refert, defunct. & humorib. lib. VI. c. 7. p. 255. quod admiratione adhuc dignius, *se vidisse quempiam post diuturnum langvorem de vita exiisse, cui sangvis universus in venis concreverat, adeò ut demum coralli modo fruticans illinc eximeretur.* Sic gravis quoque author P. SALIUS DIVERSUS de Affect. particul. c. 4. p. 216. inquit: attestor & ego, ultra HIPPOCRATIS & GALENI testimonium, me observasse, in nonnullis *ita sangvinem in venis & arteriis coaluisse, ut inde & syncope & mors subsequuta fuerit:* præcipuè autem hoc in puella quartum decimum agente annum perspexi, quæ cum diem capitis gravitatem, vertigines & anxietatem passa esset, die sequenti subitò, extincta est. Cùm dubitaretur, quo morbo perierit, & an vitio cerebri, an hujus syncopes merito hoc factum fuerit; secta fuit post mortem, *in qua immune cerebrum ab omni affectione præter-naturali invenimus, sed in arteria magna & in vena cava ita totum sangvinem coalescere vidimus, ut apprehensio illius sangvinis concreti altero principio, totus sangvis coalescens ita integer ex vena & arteria educebatur, perinde ac gladius ex vagina extrahi solet.* Quare judicatum fuit, subitam hanc mortem, à sola interceptione & occlusione venarum, à sangvine coalescente facta, causatam fuisse.

§. 81. Quæ cùm ita se habeant, & multæ aliæ adhuc his similes historiæ ac observationes Medicæ adduci possent, in quibus p.n. & quidem citra febrim, aut potius in quibus authores febris non meminerunt, (rarò enim quis morti occumbit, quin non ante obitum febricitet) coierit sangvis ceu per coagulum lac. Quis ergo dubitabit, multò magis in febribus malignis pariter eundem ita corrumpi posse ut omnino inutilis sit nutriendis partibus, sero destitutus suo, aut sero una cum sangvinea massa, corruptissimo; præsertim cùm Idem P. SALIUS DIVERSUS doceat, vel à venenato pharmaco aliquando coalescere sangvinem indeque mortem subsequi, ut taceam, ut superiùs ex eo §. 15. relatum est, eundem apertè defendere humores nostri corporis lethalibus venenis consimiles reddi. Quid quod ipse GALENUS noster de Loc. A. lib. V. cap. VII. p. 130. D. Tom. 4. tradat, *solere medicos investigare, an assumpti veneni propria extant signa, eò quòd sæpenumero videant, citra lethalis veneni potionem humores similiter ut epoto veneno corrumpi.* Verùm hæc omnia non authoritatibus & exemplis solùm, sed etiam rationibus intervenientibus optimè confirmari poterunt, & quidem ejusmodi aut similibus Syllogismis:

Ubicunque idem apparet effectus, illius una eademque est causa proxima:
Atqui in iis, qui petechialibus febribus laborant, & qui venenum hauserunt, idem apparet effectus,
E. hausti veneni & petechiarum una eademque est causa proxima.

Mino-

Minorem sic probandum arbitror:

Quicunque petechialibus febribus laborant, & qui venenum hauserunt, ij caussis eorum non impeditis, obseruntur iisdem generis maculis.

Titus, Sempronius petechialibus febribus laborant, & venenum hauserunt,

E. Titus, Sempronius causis eorum non impeditis obseruntur ejusdem generis maculis.

Si verò ex decretis Chymicorum Sal potissima colorum est causa, utique sal erit causa tam illarum macularum, quæ ab hausto veneno expelluntur, quàm quæ lenticulari magnitudine in petechialibus febribus in cute efflorescunt, imò vel etiam illius livoris externos artus in malignis febribus occupantis; quem destitutus commodiori vocabulo, occultam gangrænam studiosè in hac Digressione mea appellavi. Sed verum est prius. Ergo & posterius. Et nonne horum φαινομένων luculentissimum testimonium nobis exhibent Centurio aut Capitaneus ac viduæ illæ quorum statim in initio facta est mentio? Quippe illum cicutaria verno tempore succosa & liberalius esitata enecuit, quod actutum seu horæ unius alteriusve ad summum spatio sangvis illius secundum totam substantiam fuerit corruptus; nullis interim cùm successivè fiat motus apparentibus in cadavere illius maculis; harum verò muliercularum nempe sangvis sensim ita corruptus sit, ut post biduum aut triduum à cicutariæ veneno earum cutis simillimis fœdata fuerit maculis, quàm quæ grassantibus petechialibus febribus in cute febrientium conspiciuntur. Sed quæ, Deo benedicente, ab usu alexipharmacorum vid. §. 2. recensitorum ideo servatæ sunt, quod illa ipsa sangvinem earundem nondum omnino corallii in modum concretum aut fruticantem, ut cum FERNELIO loquar, vid. §. 80. dissolverint, seu quod in illius massa p.n. fixum fuerat sal, volatile iterum reddiderint; Regula illa chymicorum si firma; quòd omne volatile figatur à fixo, & contra fixum reddatur volatile à volatili. Unde in mulierculis istis superstitibus, rubræ aut subnigræ solùm apparuerunt maculæ, at si nigerrimæ aut liventes fuissent, cujusmodi sæviente peste atrocissima prorumpere solent, dubio procul quoq; mulierculæ in communem abiissent locum.

§. 82. Verùm prodit hic Philalethes, & ultimò sibi hic loci injici novum scrupulum dicit, quem à me sibi evelli discupit, qui hic est: Concessero, inquit, Mercurium sublimatum, arsenicum, scorpii virus, aliaque venena ζέσιν excitare in corpore nostro; attamen pernegandum sibi videri, cicutam aut cicutariam cùm utraque frigida sit ζέσιν in massa sangvinea posse excitare. Objectio sanè est, quæ meretur, ut rationibus ei satisfiat. Auctor illi ergo sum, ut authores tam illos, qui in rem herbariam, quàm qui in venenorum Naturam commentati sunt replicet: Quorum complures contra DIOSCORIDEM & GALENUM defendunt, cicutam non esse frigidam, sed acrem & calidam; nec solùm

cam,

eam, sed quoque opium, mandragoram, coriandrum, calida esse tempere. Quin iidem statuunt, & heterogeneas eadem habere partes, ut v. gr. cichorium, ut aloe, ut myrrha; ut Rhabarbarum habent, quorum priora ad classem venenorum, posteriora verò minimè, sed medicamentorum referri solent. Ast cæteris omnibus relictis, de cicuta solùm hic loci est probandum, eam esse calidam; & ne operosus videar, præsertim cùm in universum Botanicos, & alios authores super hoc dubium relegendos esse svaserim, unica sed insignis de cicuta observatio in rem eam nobis sufficerit, quam MATTHIOLO debemus, qui *in Comment. DIOSCORID. lib. VI. cap. XI. p. mihi* 988. ideò calidam esse, non sine ratione statuit, quòd in furorem agi videantur, qui eam hauserunt. *Quæ omnia experimento nobis comperta sunt*, inquit: *Quippè cùm Rusticus quidam magnifici* JOANNIS à TURRI *vinitor, non longè à Goritiæ arce, suas coleret vineas, ligone forte fortuna erutis cicutæ radicibus, secumque domum delatis, pastinacæ radicis loco decoxit, comeditque in cœna unà cum uxore: mox statim [quæ rusticorum consvetudo est] ambo ivere cubitum. Media autem nocte à somno expergefacti, omni penitus amissa ratione, huc atque illuc per domum in tenebris vagabantur, amentia & furore ducti: unde adeò caput faciem & oculos in parietes percusserunt, ut manè accurentibus vicinis, passim percussionibus tumidi partimq; effuso sub cute sangvine liventes, tumentibus admodùm oculorum palpebris, horrendam ac monstrosam ostenderent faciem. Vocor ego statim ad curam, percontatisque domesticis, quibus edulis in cœna victitassent, reperi hos cicutæ esitasse radices, quas pastinacas esse crediderant. Quandoquidem mihi in propinquam vineam adeunti, ostenderunt alii locum, ubi rusticus ille radices effoderat, ibique inveni alias cicutæ radices, quæ jam folia emittere incipiebant. Qua re perspecta, celeriter ad ægros redii, quos quidem non multò post tempore, Deo adjuvante, in pristinam mentem & sanitatem restitui, tametsi percussionum curatio multò longior fuerit, quàm veneni.* Hactenus ille.

§. 83. Ego verò ut compendifaciam multa litigia & altercationes, decernendum, salvis aliorum punctis arbitror: Eos solùm omnium dexterrimè de cicuta, illique similibus venenis, [latè hîc vocabulum veneni accipio] v. g. opio, mandragora, coriandro, quibus lactucæ succus accedit, judicare videri, qui post habitis primis qualitatibus, ea vel tota substantia agere, vel qui ea, ob ἀντιπεριστασιν in illis evidentissimam, partes heterogeneas possidere dicunt & defendunt. Hinc dubio procul GALENI locus *III. de Temper. cap. VIII. p.* 90. *D. Tom. I.* mendo non carebit, ubi differentiam inter alimenta, medicamenta, & venena traditurus, hæc profert: *Medicamenta itidem sunt, & quæ nulla substantiæ suæ mutata parte, sed tota servata integra, corpus ipsum afficiunt: cæterùm gravia & naturam animalis corrumpentia, unde & totum eorum genus venenosum dici reor.* Et paucis intermissis pag. 91. A. *Non dissimili ratione papaveris succus hominis corpori prorsus est contrarius, ut quod in eum quicquam agere, ne una quidem qualitate possit, multò minùs tota sua substantia possit*: aut nisi vitium hic aliquod in textu sepultum jacet, impropria attamen est locutio, quando GALENUS negat, corpus nostrum in succum papaveris aut

opium,

opium, nobis prorsus contrarium, quidquam agere, ne una quidem qualitate posse. Quippe id apertè falsum est, imò sibimet ipsi GALENUS contrarius esset, dum *III. de simpl. med. facult. c. XVII. p.84.C.Tom. 5.* liquidissimis verbis docet: *innatam corporibus nostris caliditatem intro ad se attrahere, & comminuendo extenuare, v. g. cicutam, papaver, hyosciami semen, mandragoram, & quæ ejus sunt generis, citius magisque in calidis naturis vim suam exerere*, &c. Calor enim ventriculi, aut potius, ut perdoctè GALENUS *de Nat. Facult. III. c. VII. p. 1166. B. Tom. I.* demonstrat, viscerum illi adjacentium, tanquam magno lebeti plures ignes foci, ut sunt: jecur, lien, cor, omentum, certò certiùs in opium, aut cicutam haustam agunt. Hoc enim ni fieret, utique innoxium omnino nobis esset opium, & illius pilulas impunè ceu plumbeas, ut in castris adversus colicam milites, solent, devoraremus. Sed secus accidit. Verissimè namque à GALENO ipso cùm 3. *de Temperat. IX. p. 92. C. Tom. I.* tum 3. *de Nat. Facult. c. VII. p.1165.B.* dictum puto, nempe: *Fieri non posse, ut duo corpora, quæ ad agendum & patiendum sunt nata: ubi convenerunt, non vel simul patiantur, agantque, vel alterum agat, alterum patiatur.* Patitur ergo opium, dum calor noster in id agit; agit in nos opium, dum calorem nostrum superat non sua frigiditate, [idem de Cicuta & similibus intellectum volo] sed ἀντιπεράξει sua partium heterogenearum.

§. 84. Heterogeneæ autem cicutæ partes [nisi tota substantia agere eam dicemus] sunt: sulphur illius fumosum valdè volatile; nec non sal illius fixius. Unde dum saliva nostra instar fermenti, in herbam cicutæ crudam, coctamve in ventriculo nostro agit, heterogeneæ in ea partes, nempe sulphur & sal ex accidenti sequestrantur calore nostro, seu igne animali, naturaliter ex decretis ARISTOTELIS, separante heterogenea; quod illius sulphur, cùm sit fumosissimum instar croci quemquam dementat; vel instar vini RHENANI, vel denique fumi Tabaci inebriat. Mox vero, dum saliva cicutæ in ore remista, porrò in ventriculo eandem fermentat, ac duo diversissima salia, salivæ nempe volatile, & cicutæ fixum, coire ac coalescere quasi debent, accidit; ut ζέσις illa non solùm non desinat, sulphure [quod veluti refrænavit virus cicutæ] jam ferè carente cicuta, sed incrementa sumat. Quippe sal fixum cicutæ, à salivæ volatili, volatile quidem, sed ad tempus solùm redditur; quod ad ingenium rediens, lenteque venas subiens, contentum in iis sangvinem una cum sero, dubio procul ita coagulat, ut saliva jejuni hominis argentum vivum. Quid quod, teste MARCELLO DONATO *de hist. mirab. I. c. 4. p.37.* Sangvis una cum sero Annibalis Pedemontani Phrygii per biennium integrum incurabili Arabum lepra vexati, tota substantia corruptus pondo sex unciarum, cùm à Pederocea Chirurgo secta illi ad talum esset vena, visus sit, aquam urnæ mensuram excedentem, ita coagulasse, ceu coagulum lac; cæteroquin colore pyropum præ se ferentem, cujus ne gutta quidem inconcreta seorsum ab alia reperiri poterat. Sed re-

vertor ad cicutam, aut potius cicutariam, quæ quatenus sulphureas partes possedit, eatenus nidorolentiam illam [ut ita dicam] concitavit, de qua viduæ aut mulierculæ illæ conquerebantur, & se ructus putridos, aut putidos pisces redolentes, aut sapientes percipere dicebant; vid. supra §. 2. quatenus verò sale suo fixo eadem cicutaria abundavit, eatenus sangvinem ipsarum ipsasque arterias, imò omnia membra adeò torpida reddidit, parùm ut abfuerit, quin utraq; æquè ac Capitaneus enecta fuerit. Tantum valet Sal, ut veluti vitæ & necis in corpore nostro, cæteris paribus, author videri queat; Sanè post JOANNEM FABRUM LYNCEUM Bambergensem, Romanum publicum Professorem, & Summo Pontifici ab Herbariis studiis Eruditissimum Scriptorem, negantem ferme dari venena [quod non ausim asseverare, desiderans interim veram veneni definitionem] devenio in eam sententiam, quòd si quis salium Naturam & indolem perfectè novisse posset; is quoque solus, nos venenorum effectus veros docere, & adversus ea, alexipharmaca excogitare valeret, cujus paradoxi hanc probabilem rationem accipite: Mercurius crudus venenum non est, licèt vulgus aliter existimet. Hinc cùm Eumpina adultera Zelotypum maritum toxicis è medio tollere vellet, eis remiscuit argentum vivum, quod ipsum servavit:

Toxica Zelotypo dedit uxor mœcha marito:
Nec satis ad mortem credidit esse datum.
Miscuit argenti lethalia pondera vivi,
Cogeret ut celerem vis geminata necem.
Dividat hæc si quis, faciunt discreta venenum,
Antidotum sumet, qui sociata bibet.
Ergo inter sese dum noxia pocula certant,
Cessit lethalis noxa salutiferæ:
Protinus & vacuos alvi petiêre recessus
Lubrica dejectis qua via nota cibis.
Quam pia cura Deum! prodest crudelior uxor,
Et quum fata volunt, bina venena juvant.

Vide AUSONIUM ep. X. & in eum ELIÆ VINETI Commentaria eruditissima. Venenosus ergo ut ita loquar, mercurius non est, sed venenatus sublimatione redditur, ratione salium, quæ ei remiscentur, & per quæ sublimatur, ut sunt: vitriolum calcinatum, sal fusum, sal ammoniacum, (quæ omnia aut singula, ne micam quidem aut granulum veneni possident, ut vel vulgo notum est.) attamen idem iterum venenosus esse desinit, dum accedente novo crudo mercurio ter quaterve sublimatur, quippe salia illa iterum in illo figuntur, & mortificantur hac arte; & tunc qui antea venenum erat, jam salubris existit medicina, mercu-

mercurius dulcis audiens, quem celeberrimi Practici, inter quos meritò recēſendus GEORGIUS HORSTIUS *Arachiter Ulmenſis* in Scabie, in Lue Venerea, & ſimilibus morbis, in quibus magna humorum colluvies vel ad ſcrupulum integrum, imò drachmam dimidiam cum conſerva roſarum exhibent: mercurii ſublimati unum itemque alterum granum nobis cùm neci ſit. Cùm ergo arte ex Mercurio & ſalibus ſolis remiſtis venenum obtineamus; quis dubitabit, quin Natura, cujus ſolertiam ex HIPPOCRATE §.79. tantoperè prædicavimus, longè accuratiùs arte [quæ Naturæ ſolùm eſt imitatrix & ſimia] norit miſcere ſola ſalia, ſed nobis ignota proportione, ut obtineat corpora naturalia ſive ad mineralium, ſive vegetabilium, ſive animalium claſſem pertinentia, quorū quædam nos Venena appellamus, ut ſunt: Arſenicum nativum; mala inſana & cicutæ ſuccus; ſcorpii excrementum, &c. Quàm verò ego in his, neque in his ſolùm, ſed quoque thermarum, & acidularum aquarum *proportionem ſalium* deſidero, eam ſi quis invenerit, is erit mihi magnus Apollo. Certè adoream is merebitur & illius ſtudium pluris eſt faciendum, quàm omnes Cardani & Scaligeri verboſiſſimæ Subtilitates ſubtiliſſimæ. Pythagoræ verò de Pondere, & Platonis de trigono rationes videntur in his ſimilibusque locum invenire. Sed quia ego matheſeω ſtudia levi brachio tractavi perterritus difficultate demonſtrationis *Theor. 33. Propoſ. 47. l. 1. Euclidis*; excutienda hæc Philoſophis relinquo, quos his, ſed Horatianis verbis ad ſtudium ſummæ laudis cohortabor.

> *Sumite materiam veſtris qui ſcribitis aquam*
> *Viribus, & verſate diu, quid ferre recuſent,*
> *Quid valeant humeri, &c.*

Nec dubito, ubi *Incomparabilis Mathematici & Philoſophi*, qui ad priſcam illam & veterum Sophorum ſapientiam, & Mathematica & Phyſica ſtudia tractavit, *celeberrimi* JOACHIMI JUNGII, *Affinis & Præceptoris olim mei* M.S. poſthuma publici juris fient, quin plurima inter ea phyſica ad Democrati, Pythagoræ, Platonis mentem perpolita reperiantur: quippe recordor, illum poſt habitis formis [nam ceu profanum vulgus Fernelianæ ſectæ addictos oderat & procul arcebat] ex τειγώνων, πυνταγώνων, ἑπ]αγώνων admirandis ſpeculationibus obſtinatè abhinc aliquot annis Roſtochii dediſſe operam, ut ſalium diverſiſſimas naturas, figurasque v. g. Salis, nitri, gemmæ, vitrioli, aluminis demonſtrare ac docere poſtea nos poſſet.

§. 85. Cæterùm, cùm ex prioribus conſtet, toſtum ſcorpium édi, ac me non aliud ei eſſe venenum ſtatuere, quàm proprium illi in extrema cauda naturaliter collectum quantitate perexiguum excrementum, idque ſalinæ eſſe naturæ, & id inſtar guttæ olei longè lateque diffluentis ocyſſimè in vivo corpore diffundi, idemque maſſam ſanguineam fermentando, diverſimodè eandem

corrumpere,&c. poſteaque, ubi hæc commentatus eram, replicuiſſem modò laudati FABRI LYNCEI in Animal. Novæ Hiſpaniæ NARDI ANTONII RECCHII & quidem in Serpentem bicolorem Mexicanum, NEXBOA de QUANQUECHOLLA dictum *pag. m.* 781. doctiſſimas annotationes: adverterimque à dogmatis tam eorum, qui in genere in venena, quàm qui inſpecie, quæ vel punctione vel morſu nobiſcum communicantur, commentati ſunt, eundem longè recedere, illumque pleraque ea confirmare exemplis, quæ hoc authore non inſpecto mea mihi ſolitaria ratio dictitavit: quare in gratiam Med. Candidatorum hoc authore carentium ipſum loquentem hîc introducam; Medicinæ verò Antiſtites per fidem perque illorum ſeu diſcipulorum ſalutem & fortunas rogatos volo; ut meminerint deinceps toto pectore & animo ſibi unà cum Philoſophis eſſe excubandum, quo Naturam venenorum ratione & experientia non ſolùm indagent, ſed quoque quàm fieri poteſt intimè penetrent, ſeu ut liquidis verbis dicam, quid volo: inquirant ſtudioſiſſimè in πρῶτον δεκτικὸν veneni, ſeu ut Philoſophi loquuntur, quodnam primum illius ſit ſubjectum, cui primò & per ſe & quatenus tali virulentia & venenoſitas inhæret, quod non ſine rationibus tamdiu æquè ac contagii ſal eſſe volatile ſtatuã, ſulphur verò cauſam ſine qua non, aut αἴτιον οὗ οὐκ ἄνευ, quamdiu meliores rationes; uſus, & experientia; meas introductas aut allatas reprobaverint. Sed auſcultemus FABRUM loquentem, cujus hæc ſunt: Ego (inquit) *ut de me hîc aliquid quoque addam, ante biennium, æſtivo tempore, ſitiente ſub* canicula, *cùm ſiti vexatus, gelidam ex æreo urceo aquam avidiſſimè haurirem,* Scorpionem *ſimul in os mihi illapſum magnum ſanè, ſed mortuum perſenſi. Quem ubi exſpui, nihil propterea animo turbatus, aquam nec revomui, nec* antidotum *ullum ſumpſi: cùm certus quaſi ſecurusque eſſem, tantillum animal, aut minime aquam veneno ſuo, quod pungendo potius, quàm eandem diluendo, emittit, polluiſſe, aut ſufficiens haud quaquam certè fuiſſe, per tantam putealis aquæ copiam diſperſum, ut interimere me potuiſſet. Exiſtimo tamen, ſi verè aqua illa venenata fuiſſet, nihil, aut parùm ſaltem, animi mei confidentiam ſuffragari mihi valuiſſe. Eoque minus timore perculſus fui, quòd olim, dum* Matthioli oleum ſcorpionum *dictum, componeremus vidiſſem intrepidè Ruſticos noſtros, qui* Viperarum *&* Scorpionum *venationi dant operam aliquot centena* Scorpionum *vivorum, manibus ſuis apprehendendo, digitisque revolvendo, non aliter nobis numeraſſe, atque ſi tot nummos aureos contrectaſſent. Ego tunc uni eorum viventium* ſcorpionum *caudam amputavi, ejusque aculeo, in ſuperna indicis digiti parte, vulnuſculum mihi ipſi inflixi, experimentum hinc deſumere cupiens, an reverà* Venenum *ſuum eodem modo, quo ipſe* Scorpio *pungendo facit, mihi communicaret, jam enim, ſi quid ſiniſtri accidiſſet, de præſentaneo quoque remedio ipſo* Scorpione *contuſo & ſuperpoſito, ſecurus eram. Verùm noxæ nihil, præter exiguam rubedinem,* lentis *magnitudine, quæ ſequenti die diſparuit, inde contraxi. Quapropter parùm abfuit, quin in hanc devenerim ſententiam,* Venenum abſolutum nullum dari, ſed relatione ſolummodo habita ad objectum, *& ejus quidem*

naturam,

naturam, modumque *inficiendi imperscrutabilem nobis fermè esse: cum sciam venenosa animalia, quæ pungendo, aut mordendo vulnerant, vix nobis virus suum inferre, nisi irritata, adeoque vel à nobis, vel aliis, vel à seipsis ad iram eadem provocata fuerint. Id sæpe in* felibus, canibus, *&* gallis gallinaceis, *iracundia flagrantibus contigisse animadverti, ut vulnera tunc infligerent cacoëthea prorsus, & ægrè sanabilia, cùm tamen, quando placidè nobiscum agunt, & fortè nos sauciant, vix quicquam detrimenti inde percipiamus. Sic in hac ipsa urbe pharmacopæi cujusdam famulum intellexi, à capite* Viperæ *jam post tertium diem abscisso, & inter sordium quisquilias jacente, cùm is hoc pede priùs protrusisset, deinde manibus quoque apprehensum projicere tentâsset, lethaliter in digito morsum, & efficacissimis vix tandem theriacalibus medicamentis sanatum fuisse. Quod caput autem hoc tam diu vixerit, mirabile est, sed mirabiliùs longè, quod* Recchius *noster, hoc ipso in opere* Mexicano, *de* Serpente *atrocissimo* Teuthlaco Zauhqui, *quem* Hispani *indigenæ* Viperam, *ob lethalem morsum vocant, commemorat.* Audio à multis, *inquit*, qui eum Serpentem domi alere solent, atque educare, annum integrum durare, absque cibo ullo potuque. Absciſſumque caput, decem aut ampliùs dies ferunt apud Panucenses, in femoris crassitudinem & longitudinem adolescere. *Est & hoc non minus insolitum aliis* Serpentibus, *huic verò proprium, ac naturale*: Quot annos natus est, *ait Idem Recchius*, tot accedunt caudæ perstrepentia sonalia, in postrema parte caudæ, vertebrarum instar connexa. Hactenus Faber Lynceus.

§. 86. Advertis verò Philalethes, cùm nec ad primas nec occultas qualitates, nec humores illos quatuor elementis analogos bilem, pituitam, &c. nobis Medicis indagaturis febrium malignarum ac petechialium genium ac indolem abeundũ, confugiendumq; sit; me interim pervicaci studio contendisse, ut corruptionis sangvinis nostri modus, dum iis laboramus, non obscurè nobis innotesceret: quem similem esse demonstravi illi, qui ab hausto veneno inducitur, quòd vel exemplo cicutariæ probavi: quàm differre ab ipsa cicuta, vel dupondius in studio botanico tyro novit, ita ut nolim mihi, tot annos botanica profitenti, objici, me insuper habuisse istam differentiam. Attamen observandum non solùm alias herbas salubres & venenosas valdè ratione Regionum, solique Natalis differentis, variare, sed quoque cicutam, quod Matthiolus *in Comment. Dioscor. IV. c. 74. p. 773.* apertissimè demonstrat. Hinc par illud conjugum cujus Matthiolus meminit, in furorem egit Cicuta, non longè à Goritiæ arce; Cicutaria verò hic Hafniæ [addo verno tempore] citra furorem neci dedit Capitaneum, aut Centurionem nullis efflorescentibus maculis; mulierculas autem istas eadem similibus commaculavit maculis, quàm quibus grassantibus petechialibus febribus conspergimur. Hæ similesque circumstantiæ & priores, passim de subjecto, allatæ, si sæpicule in multis casibus accuratè perpenderentur, maximè cùm ex historia à Matthiolo, omnibusque circumstantiis constet, verno quoque tempore ab esu Cicutæ radicum conjuges in furorem

torem esse actos; auguror oppidò imminutum iri numerum venenorum, nec eorum solùm verùm etiam occultarum qualitatum & quod palmarium, de quo in hac Digressione disceptatur, occultorum morborum, aut, ut apertiùs dicam, Formæ. Sed cùm mihi, aut ulli hactenus ex Physicis, Chymicis, ac Anatomicis principiis, subsidiis, & manuductoribus ad veritatem rerum naturalium pergere ulteriùus ratiocinando in his similibusque haud liceat [Quippe ad quæ, multijuga & sola experientia interveniente, insecutura ætas olim nobis prælucebit.] interim tamen inconcussam perstituram hanc meam sententiam superiùs §.38. prolatam omnino confido, nempe concludendum esse: *omnia venena fermentando id agere, quod agunt, & quia sale sui generis abundant, cæteris paribus & causis adjuvantibus non impeditis, ea & facilè didi & facilè penetrare in universum corpus humanum, in eaque pro diversitate partium affectarum & subjectorum, diversissimos & admirandos edere effectus:* in qua sententia tamdiu persistam penitus, quàmdiu quis definitionem exasciatam, dedolatamque veneni nobis dederit. Hactenus enim convenire in nomine illius Medicinæ proceres visi nondum sunt. Quippe *Hic* vult: illud venenum definiri debere, quòd parva quantitate nos occidit; *Alius* hæc non considerans, venenum illud appellat, quod ocyssimè nos jugulat. *Tertius* quidem hæc non negat, sed quoque existimat, illud, quod nobis noxium, aut quod nos vehementer afficit, aut lædit, licèt aliquandiu nihil agendo, aut nos non corrumpendo, delitescat in corpore nostro, gravitate compensans tarditatem, venenum esse, aut pro eo haberi deberi. *Quartus*, venena certis partibus inimica, v.g, Cantharides renibus statuit. *Quintus* ingeniosis rationibus eludit hoc effatum & rationes adferre novit, ut cantharides venenis non annumerari, aut ad minimum occultis non agere qualitatibus dici mereantur. *Alij* aliud de venenis pronuntiant, & corporeum requiri in iis contactum. dum ipso actu nos corrumpunt, statuunt; *alij* per qualitates easq; occultas; *alij* per species spiritales nos afficere, & sexcenta alia de iis in commentaria referunt, ad quæ omnia recensenda hic neque locus, neque tempus est, quæ ut interim in compendium quasi compingam; Hinc *Perdocto* JOHANNI FABRO LYNCEO omnino scribendum arbitror, loco superiùs citato hæc pronuntianti: *Et ut semel simulque dicam*, inquit, *in tota arte medica vix quicquam magis controversiis implicitum, quàm* venenorum Naturam *existimo. Cùm nondum constet, quibus rebus etiam* Veneni *vox propriè competat, adeò inter se digladiantur Doctores, atque ductores nostri*, DIOSCORIDES, PLINIUS, GALENUS, FERNELIUS, CAPIVACCIUS, *& qui de* venenis *ex junioribus Medicis scripserunt*, &c. Sed claudendi sunt rivuli, qui influxerunt in hanc meam de Febribus malignis Dissertationem; nec porrò patiar, me ultra metam abripi, quam in præsens flecto.

§. 87. Atque jam tandem ad carceres veluti revocanda Dissertatio hæc nostra est, ut epilogi loco PLATONIS verba ex Timæo illius petita ei attexam, quibus

quibus proh! quàm graphicè morborum causas non solùm describit, sed quoque ut dissidium humorum fiat in corpore nostro satis accuratè recenset, dum dicit: *Quando præter Naturam unumquodque fit aut transfertur, calescunt utique quæ antè frigebant, arida madent, gravescunt levia, & cætera similiter permutantur*, id est: ut ego accipio & interpretor per ζέσιν aut ζύμωσιν acescere, veluti, ut GALENUS noster loquitur, in corpore nostro humores, seu ut anteà locutus sum, sangvinem πνευματῶδες, seu spiritualescere. Quid quod idem PLATO eodem loco *pag. mihi* 548. doceat, dissidio hoc facto humorum, nos non solùm molestia affici, sed quoque ore rotundo profiteatur, *sangvinem infectum & corruptum ferri passim per venas nullo prorsus naturalis circuitus ordine observato*, qui hodiè in scholis circulari dicitur, phrasi chymica. Quin Idem usque adeò accuratè de seri corruptione disserit, ut nihil suprà, nomine ampullarum visum effugientium, ζέσιν sangvineæ massæ fientem complectens: macularum verò aut pustularum generationem, quasi penicillo delineasse, & exposuisse oculis videri queat. Sed præstat locum integrum hic transcribere atque ita finem, DEO Juvante, huic meæ dissertationi imponere. Ea verò cum non nulla singularia contineat, v.g. in Apoplexiæ medela, observanda, eaque non concordent, aut congruant, cum dogmatis veterum Medicorum; ac quorum pridem, in aliis meis commentariis, passim facta est mentio; hinc ne mihi soli sapere viderer, neu *mihi Suffenus essem*, in consilio meo, contra Apoplexiam, publici juris facto, aut typis excuso, cum *Generosissimo ac Nobilissimo* quodam HEROE, Regio Ministro, An. 1668. 28. Novembr. Lutetiæ Parisiorum degenti, communicato; *publicitus non solum Celeberrimos Academiæ Parisiensis P. P. sed quoque omnium Europæarum Academiarum decorè exorare volui, ut sine partium studio dum ipsorum censuræ, methodum meam Apoplecticis medendi ex anatomicis principiis, subjicerem, æquè ac benignè de ea judicarent.* In præsens verò, in Regina hac Academia, etiam vos hic compello, Te THOMA BARTHOLINE, Teque OLAE BORRICHI, Celeberrimos P.P. detis hoc mihi grandævo & defloccato Seni, quintum supra septuagesimum ætatis agitanti annum (præsertim cum me ceu alterum parentem semper observastis; Ego etiam vos contra si non filiorum, ast fratrum loco complexus sim) ut subsidio vestri, in Anatomicis ac Chymicis, elimati & perpoliti judicii, sine vestris ingratiis, mihi in actis Medicis Haffniensibus, deinceps edendis, aperiatis vestram sententiam: *rectenè vel secus à me factum quod statuam, post inventionem admodum nuperam, vasorum lymphaticorum, tenerrima & admiranda textura, tot per secula ab Anatomicis non observatorum, usu venire in grandævis Senibus, ut si hæc vasa, non ita hient ceu hæmorrhoidales venæ solent, dum per ostiola sua cæteroquin non conspicua, sanguinem fæculentum crassum tartareum, aliàs melancholicum dictum excernunt. ast eorum retentrice facultate, jam debili, hàc atque illàc, ceu plena porosum essent, lympham perfluere.* Undè omninò mihi persuadeo, quod quinquagenariis, sexagenariis, septuagenariis non cachecticis (*senectus interim ipsa morbus & est & dicitur*) aut ut apertius dicam quid velim, citra ullam suspicionem, scorbuti,

buti, hydropis, citraque ullum dolorem, ante illorum obitum, plerumque tibiæ ac pedes intumescant, contra superiora corporis membra, cute rugosa ac laxa, extenuari, enervari, tabescere ac arescere, observemus, ceu

——— ——— ——— *veteris ramalia Fagi*

in sylvis passim cernimus. Ut taceam proximam causam horum omnium videri, lymphæ defectum; insuper quod senes, plerumque lividi, gilvi ac luridi compareant; vel quod illorum debilitatus, aut ætate evanescens calor, amplius suppar non sit gignendæ, elaborandæ ac perficiendæ lymphæ; vel ut innui, quod vasa lymphatica, præ retentrice facultate debili ac languida, recipere, continere aut reservare, ceu in cisterna, ut fieri addecet, lympham nequeant: ut ea non corrupta, sed pellucida ac crystallina, sangvis & illius vehiculum, serum nempe humectetur, ac diluatur, (quæ ut obiter hæc notem) dubio procul in virgunculis causa non postrema est venustatis, ut Dianam aut Daphnen repræsentent; Vetulæ vero edentulæ capiti Medusæ similes sint. *Atque his rationibus, videor mihi, hac senecta ætate mea, me reperisse veram & proximam causam marasmi senilis, arte nulla medicabilis, sed certa & pallidæ mortis prodromi.* Etenim si serum extravasatum solùm in causa esset, cur Senum tibiæ ac pedes plerumque tumeant, usque dum extremum calcem extendunt, aut propemodum ad tumulum sandapila, efferendi sunt; quî non gravissimis symptomatis, aut iis similibus corriperentur, quibus hydropici succumbunt, qui eum in modum, instar senum non livent, sed qui prætumida facie pallent? Ast ad hæc omni enodanda aut recensenda hic loci locus non est: Proin revertor *ad* PLATONIS TIMÆUM, in quo hæc illius verba, postquàm de valetudine ingeniosè philosophatus est, aut disseruit) quibus omnium morborum causas indagat, observatu dignissima leguntur: *Mala* vero (inquit) *sequitur valetudo, quando fit contra.* Nam quoties eliquata caro, tabem rursus transmittit in venas, sangvis una cum spiritu, multus ac varius in venis, coloribus diversis, amaritudineque, *& acidis salsisque infectus saporibus, bilem cruorem, pituitam gignit quàm plurimam. Quæ quidem omnia rursus sic genita, & corrupta, sangvinem ipsum inprimis inficiunt*, & ipsa nullum nutrimentum adhibentia corpori, feruntur passim per venas, nullo prorsus naturalis circuitus ordine observato. *Inimica sane inter se ista sunt, propterea, quod nullum sui sibi invicem præbeat usum. Naturali præterea corporis habitudini, suoque in statu perseveranti, dissolvendo & liquefaciendo plurimum adversantur. Portio namque carnis vetustissima cùm liquescit, ad digestionem, concoctionem ineptissima, proptor veterem exustionem nigrescit: quia vero contabuit, penitusque exesa est, amaritudinem contrahit cæterisque omnibus corporis partibus nondum contaminatis adversam: & tum quidem, pro amaritudine niger ipse color acerbitatem & acrimoniam habet, eo jam quod amarum fuerat magis attenuato: tum verò amaritudo rursus sangvine tincta colorem habet rubeum, sed nigro huic admixto felleum. Præterea flavus color cum amaritudine coit, quando ob ignis flammam nova caro liquescit.* Et nomen quidem omnibus commune bilem imposuit, vel medicus aliquis, vel certè

certò eo ingenio præditus quispiam, quo multa & dissimilia dispicere posset, ac rursus genus in multis unum, uno cognomento dignum, inspicere [Admirandi & *summi Philosophi hæc verba, si locum invenirent in cathedris, dum de cathedris disputatur in Academiis, pro! quantis logomachiis inutilibus, repagulum objiceretur!* Quæ verò bilis species appellantur, pro colorum varietate, rationem singulis propriam acceperunt. *Cruor præterea, qui sanguinis residuum & defluxus est, lenis est ac mitis: qui verò bilis atræ acrisque, agrestis, quando propter caliditatem salso sapori miscetur, hujusmodi quiddam acida pituita nuncupatur. Sæpè verò tenuioris recentisque carnis portio quædam, una cum aëre colliquescit, unde vento inflatur incluso, humiditate protinus circumfusa:* fiuntque ex hoc ampullæ, quæ sigillatim propter parvitatem, videri non possunt: *juncta verò simul, & in grandiorem tumefacta molem conspiciuntur, coloremque, propter spumæ generationem habent album. Omnem hanc tenerioris carnis eliquationem, unà cum spiritu factam, quæ ex humiditate, vento circumfusa tumescit, albam pituitam appellamus: recentis item pituitæ residuum defluxumque, lachrymas, atque sudorem, & quotcunque alia, in quæ quotidiè corpus resolvitur.* Atque hæc omnia instrumenta morborum, quando scilicet sangvis, non cibis & potibus secundum naturam, sed ex contrariis præter naturæ leges excrescit. *Quando igitur, qualibet caro circumciditur, ejusque radix permanet, dimidia quædam est calamitatis potentia: Facilè enim restauratur. Quando vero, quod carnes ossibus alligat, ægrotat & sanguis ex illis, & nervis defluens, haud amplius nutrit ossa carnemve revincit, sed ex pingui & glutinoso, asper, salsus, siccus & squalidus, iniquitate victus est factus tunc certè quod omnia ista perpetitur, abscissum ab ossibus sub carne nervisque riget. Caro etiam à radicibus decidens, nudos relinquit nervos, & salso obductos humore, & in fluenta sanguinis promanans, morbos quos supra diximus, numero etiam plures reddit.* Hactenus PLATONIS verba: Admoneo ergò, cum his ipsis Philosophorum Pater atque Princeps, indicare videatur, quod ob recensitas, ab ipso causas, *morbi numero etiam plures*, quàm quorum meminit aut recensuit, id est, ut ego accipio & interpretor, illum ceu vatem veridicum, quo ad longissimè potuit, respexisse hæc tempora, & innuere voluisse, vel nostro hoc seculo, v. g. luem Veneream, Scorbutum, Tabem Anglicam, imò etiam alios novos & adhuc ignotos nobis morbos, ab iisdem causis, minimè occultis appellandis, corporibus nostris, sive ingenerari, sive implantari, sive in ea transplantari. Exequias ergò MORBIS FORMÆ: iique deinceps, ceu *entia Rationis*, ex Scholis proscribantur, expediet, ne in studiorum alacri cursu, sagaci ingenio Medicinæ alumnos remorentur: At verò *si benevolus Lector aut Arbiter*, modò laudata PLATONIS emphatica verba, ceu ex tripode essent dicta, partim cum GALENI *nostri, ex comment. in aphoris.* HIPP. nec non ipsius HIPPOCRATIS, in omnibus admirandi Senis, *ex prisca Medicina* petitis textibus, pridem superius nempe §. 68. introductis, partim quoque cum recentiorum decretis & observationibus conferet quibus *circulatio sanguinis*, nec non *valvularum*, sive *ostiolorum*, sive *haustrorum*, sive *excipulorum* in

venis inventio; itemque *venarum lactearum*; denique *vasorum lymphaticorum* annumeranda, *utique is ratione optima interveniente, sine partium studio, Sal, Sal,* dico, *in sero massaque sanguinea corruptum, ac p.n. volatile factum, iterumque fixum redditum, tam febrium malignarum, & in specie petechialium, quàm macularum in morbillis in lue Venerea, Scorbuto,* (& Scorbuto annumeranda Tabe Anglica, vid. Quadripartiti mei Botan. class. 2. hist. chelidon. major. pag. 46. & sequentibus) *in Elephantiasi in gangræna, imò in peste ipsa, apparentium, & per consequens, quoque contagii, unicam & proximam causam*, statuet aut affirmabit. Medelam vero omnem DEO BENEDICENTE, perfici potissimum, usu legitimo *Salium, Salium* dico Alexipharmacorum, aut in iis delitescentium, ut v.g. in Theriaca, sed viperinum delitescit, &c. reapse in praxi medica observabit. Quæ omnia *in Digressione hac mea de Febribus malignis*, exemplis luculentissimis & authoritatibus Celeberrimorum Medicorum, confirmare studui: Deinceps verò omni commentandi studio me abdicans:

—— —— Festinat enim decurrere velox
Flosculus, angustæ miseræque brevissima vitæ
Portio:


Interim Ego, dum adhuc supero, senectute, jam languidus, pia ac devota mente, Divo *Apostolo PAULO* ad Philippenses morigerus, *Mundana omnia spernens cotidiè cælum suspico*. Tu interea Lector Benevole æqui boniq; consulas hanc meam digressionem, magno Te studio rogo; Quem bene vivere, benè agere, benè feliciterque valere; mihi studiisque meis, etiam post Fata mea, (cum non *omnis moriar*) optimè cupere ac favere jubeo.

DEO SOLI UNI ET TRINO
SIT HONOS ET GLORIA
IN SECULORUM SECULA.

Celeberrimus
CASPARUS HOFMANNUS
in præfatione commentarij de V. P. GALENI.

DEcet nos in ſtadio ſtrenuos eſſe, neque tamen ſubito præmia poſcere, quæ D. CHRYSOSTOMUS, ait non illorum eſſe, qui ambiunt, ſed quibus benè vult ſummus ille βραβευτὴς. *Huic enim ſi placeas, ſatis eſt: aſt hominibus (præſertim malis) ſi placere voles, placenta fias oportet, aut vinum Thaſium*, ut Bionis dicterium habet.

F I N I S.


FAMÆ BEATUS, QUI SUPERVIXIT, SUÆ,
ILLISQUE MERUIT INTERESSE LAUDIBUS,
QUAS VITA NON DAT, FUNUS AC CINIS DARENT
BONIS LICERET, SI LICERET PER MALOS,
VIVIS NEGATA GLORIA VIVIS FRUI.
SED SI BONORUM IUDICIA DE ME MEI
TARDAVIT ÆVI LIVOR, AC MALIGNITAS,
MEAM LOQUENTES GLORIAM NEPOTIBUS
INIURIAM HORUM NON TACEBUNT POSTERI.
SCALIGER
NON OMNIS MORIAR.
VIRTUS INTAMINATIS FULGET HONORIBUS.

APPENDIX,

Seu

HISTORICA RELATIO,

DE

PERICULOSISSIMO, DIFFICILLIMO, RARISSIMO, FASTISQUE DIGNISSIMO

ANATOMICO ac CHIRURGICO CASU,

Ad Incomparabilem Anatomicum,

DN. JOHANNEM RIOLANUM PARISIENSEM,

Ipsi Anno M. DC. LII. X. Januarii S. V.

Lutetiam Parisiorum

Haffniâ missa,

à

SIMONE PAULLI MEDICO REGIO,

una cum

ILLIUS ad eam AMICABILI RESPONSO.

Quibus accesserunt

TRIA SINGULARIA CONSILIA MEDICA,

Epistolari forma,

in Anatomes ac Medicinæ Studiosorum usus & gratiam

iterata hac editione publici juris facta.

ARGENTORATI,

Impensis Author. Fil. SIMONIS PAULLI Bibliopolæ

M. DC. LXXVIII.

Ad Doctißimum Virum

DN. SIMONEM PAULLI,

amicum dilectiſsimum,

Cùm in Germaniam abiret, ut ſe ſuis redderet.

ERgóne Pariſiis doctiſſime SIMON abibis,
Tamque procul, nec Te pulcherrima Gallia, nec Te
Dulce ſolum, nec Te lectiſſima quæque retardant?
Nec delatus Honos, cum pulchra cadavera ſexus
Fœminei rimaretur, docteque ſecaret
MAXIMUS ille RIOLANUS, qui ſede locabat
Conſcriptos Te inter Patres, quos purpura veſtit,
Demiſſæque togæ; cunctos cum multa doceret
Adſtanteis ſecreta, Tui (ut memorabat) honoris
Causâ DEMOCRITUM quem clarâ voce vocabat.
Fallor? an iſtius tituli memor, omnia, Gallis
Noſcere quæ Natura dedit citò ſcire cupiſti?
Ut gentes terrasque alias inviſere, ibique
Optima quæque haurire queas, & rara videre.
Forſan & ut Medicum, quem nunc Germania nutrit,
Accedas, cuius laudes ſuper æthera vexit,
Incluta Fama Senem, quemque ipſe ΦΙΑΑΤΤΟΣ
Miratur Gallus; MAGNUM indigito SENNERTUM
I fauſtis avibus, ſtadium, quod currere dudum
Cæpiſti, abſolvens: Tibi nunc Germania honores
Perſolvat ſummos; (magnâ quas laude mereri
Hîc Te cenſebant omnes;) Ego grator amice
Et felicia quæque precor; DEUS optime votis
Adſpirato meis, & quo perfecta teneri
Cuncta queant, illi præſtanti corpore Nympham
Jungito, connubio ſtabili, propriamque dicato.

ſcribebat Pariſiis
9. April. A. 1630.

ANTONIUS SCHEFTER.

ΣΥΝ ΘΕΩ
CELEBRATISSIMO VIRO,
DN. JOHANNI RIOLANO,
PARISIENSI,
Anatomicorum facilè Principi, Præceptori ſuo.

Bene vivere; Bene agere.

VT Samium illum athletam, mutum quidem, ſed indignatione accenſum, vocalem evaſiſſe accepimus, cum ei Victoriæ titulus ac præmium, quam adeptus erat, eriperetur; ita & ego (namque fatebor) juſta indignatione exacerbatus, tandem verba facio, dum Perdocte Magneque RIOLANE, Præceptor venerande quinto labente hoc jam luſtro, ab illo tempore, quo ægrè ex amplexu tuo divulſus, meis ut me redderem, magnis itineribus in Germaniam contendens, tibi coràm longum vale valedixi, intervenientibus publicis his meis literis, quo par eſt cultu & obſervantia, Te ceu Parentem filius, ceu Præceptorem diſcipulus, eminus & abſens in præſens compello & alloquor. Nunquam verò à meipſo impetrare potuiſſem, tanto intermiſſo temporis ſpatio, negotium tibi meis legendis faceſſerem

cùm tot ſuſtineas & tanta negotia ſolus;

Inſuper inſtar PUBL. SCIPIONIS Africani, nunquam minus ſis otioſus, quàm cùm ſis otioſus, nec minus ſolus, quàm cùm ſis ſolus; niſi complures ex Galliis & Lutetia Pariſiorum reduces, eò tanquam Athenas profecti, bonæ mentis famæque ſtudioſi, de impari tua advorſum me & benevolentia & conſtanti amore, me certiorem ſæpiculè feciſſent. Sanè, ut ex præmonitione tua ad Lectorem & Auditorem Enchiridii tui Anatomici perſpexi, hac tua ſeptuagenaria ætate, neque animum, neque corpus adhuc defatigari, ſed eam propenſionem & alacritatem præ ſe ferre, quas juvenis, Dei gratia, obtinuiſti, ſtudiis, Anatomicis

tomicis assiduè adhuc tibi dedito, præ lætitia mihi haut constiti, seu pro voto insuper,

De nostris annis tibi Juppiter augeat annos

exoptare occepi.

Cæterum, cùm & me ad studia hæc summæ laudis cohortabâre, auctorque eras, ut quantum conniti animo possem, quantùm labore contendere (ut illa Cicer. ad Marcum F. huc transferam) tantùm facerem & efficerem, ut & hæc studia mihi laudem parerent & lauream, quod & olim p. m. Bartholinus noster

——— Spatio qui sæpe supremo
Vicit Olympia, nunc senio confectu' quiescit,

pari affectu animoque vehementer à me contendebat: Parui paternis vestris his monitis, & successore THOMA BARTHOLINO F. (quem

Dignum laude virum, Musa vetat mori)

superante in Anatomicis, inmo ipsum Parentem, Dei gratia in Nobilissimo ac Florentissimo hoc Regno ex sententia & voto proborum omnium confeci negotium. Etenim, ut in vestra Parisiensi, JACOBUS SYLVIUS anatomica docendo, demonstrando, ac propria manu secando cadavera, primus profiteri cæpit, ita in inclutam & Regiam hanc Haffniensem Academiam hæc sacra pari studio primus introduxi, atque adeò

Exegi monumentum ære perennius
Celsarumque *situ Pyramidum altius,*
Quod non Imber edax, non Aquilo impotens
Poßit diruere, aut innumerabilis
Annorum series & fuga temporum.

Quæ cum ita se habeant, nec diffitear, te Doctore & manuductore, CELEBRATISSIME RIOLANE, Præceptor venerande, profecisse plurimum ex jucundissima consuetudine tua, ita ut apertè & ego pronunciem, RIOLANUS nî esset, nec ego essem, quippe

Quod spiro & placeo, si placeo tuum est;

quousque tandem perferre ac patienti animo, hac mea quinquagenaria ætate tolerare aut concoquere possum, pipulo me differri per urbem, seu in compitis, seu in tonstrinis, seu in blattariis balneis denique; aut quamdiu eludet patientiam meam amicus iste dissensus sub cujus nomine per malam consequentiam, malum! ingêntis sive inscitiæ, sive erroris Anatomici arguor? Proin, Incomparabilis DN. RIOLANE, Te, ceu in Anatomicis alterum quasi ROSCIUM & HOMERUM, sine tuis si id fieri possit ingratiis, causæ hujus sumam arbitrum; Te exoraturus, ut accuratè ad mentis stateram, pensiculatis circumstantiis omnibus (moveant Te quæso publica commoda) acri & subacto judicio tuo interve-

interveniente, de periculosissimo, difficillimo & fastis dignissimo, rarissimo Anatomico & Chirurgico casu, cognoscas, idque tantò alacrius ac lubentius facies, quantò avidiùs judicium hoc tuum mecum quamplurimi alii exspectant. Quæso ergo pace tua fiat, ut Latino Idiomate, pari fide & candore, quibus Germanico in Germania Clarissimis Viris, aliisque meis amicis, rei hujus gestæ historiam enarravi, Tibi quoque recensere occipiam, ut *multis incommodis veritas debilitata*, (ut ita cum Cicer. pro Quinctio loquar) *tandem æquitate talium virorum recreetur.*

Anni proximè hunc præcedentis, mensis Octobris die decimo, st. vet. multa jam vespera Nobilissimus juvenis, ex *per vetusta Buchvvaldorum prosapia*, oriundus, DN. NICOLAUS à BUCHWALD patria Holsatus, natus quasi annos XXV. gladio sauciatur, vulnere inter sextam & septimam costas veras, infra papillam sinistram, duos digitos lato, distante ab eadem totidem, punctim & in abdomen sese penetrante, ipsi inflicto. Ei, ut par erat, & necessitas efflagitabat, eadem vespera, à Chirurgo, olim stipendia qui fecit in *Sereniss. Electricis Saxoniæ*, post dein, *in Sereniss. ac Clementiss. Principis Electi Daniæ, celebratissimæ memoriæ, aula*, necessaria subministrantur. Manè vocor ego, nempe XI. Octobris: Compareo, & retulit mihi Nobiliss. hic æger (rarenter antidhac qui conflictatus fuit cum morbis) se mox, inflicto sibi vulnere, atque adeò eadem illa vespera, percepisse dolorem parte sinistra dorsi lumborumve. Idem ille postridie, & proximè insequentibus diebus inter alia symptomata vehementer conqueri cœpit, de atrocissimis sinistri femoris doloribus. Hinc iis non cessantibus, non solùm vulneris, telo supernè quidem inter sextam & septimam costas adacto, sed quoque altiùs, quàm quis primo intuitu suspicari poterat, descendente, verùm etiam dorsi & femoris habendam esse rationem, pernecessarium esse, ego & Chirurgus sciscimus: præsertim, cùm confirmaremur in hac sententia, ob febrim symptomaticam, rigores, lipothymiam, syncopen, sudores syncopticos, quibus Nobilissimus hic æger semel atque iterum diffluebat &c. &c. Et ut compendifaciam plurima alia, seu collectim ut dicã, ob vires prostratas ab omnibus adstantibus conclamatæ ac depositæ salutis habebatur æger, quippe, qui refocillatus ipsi suo Confessionario, Viro admodùm Reverendo, Excellentiss. Clariss. D. THOM. LINDEMANNO, primario Teutonicæ Lingvæ hîc apud Haffnienses Pastori, confessus est, se nunquam ad viam lethi, semel omnibus calcandam, quàm sensibus ipsum deficientibus, hoc ipso morbo durante, accessisse propiùs: Sed Lernam aut Iliada malorum dixeris! fateor, ita est: Interim quæ sequuntur symptomata, magè adhuc manifestius ad dignoscendum locum affectum & partes læsas sagaciter indagandas, nos deducunt, quæ omnia, velut alter Hercules Nobiliss. hic æger invicto animo & admirando corporis robore, quo aliquam multos antecellit, singulari Divina interveniente benedictione, hucusque masculè sustinuit.

Cùm ergò ego & Chirurgus animadverteremus, dolores & impotentiam sinistri femoris movendi cotidiè ingravescere, ita ut ne tantillum quidem sponte sua flectere aut extendere Nobiliss. hic æger femur posset, sed supinus in lecto aut strato cubare coactus sit; prædixi fore, ut Nobiliss. hic æger elumbis ætatem evaderet. Postquàm autem insequentibus diebus manifestò infestari ingenti inflammatione sinistri coxendicis regio cæpit, cute omninò integra, ultra cotylen femorisque supernam partem sese extendente, remediis quidem convenientibus lenire dolorem & inflammationem, sed incassum pergimus. Natura quippe, morborum medicatrix, dicto loco, nempe in coxendicis regione, tumorem protrudebat, quem suppurantibus cataplasmatis, decenti sectione maturavimus, præsertim, cùm non solùm à me & Chirurgo, sed etiam famulis Nobilissimi hujus ægri, aliisque adstantibus, atque adeò à nobis omnibus, macula livens (quod summoperè notandum, ceu maximè ad rem faciens.) modo indigitatum tumorem variegare & quasi pingere observata sit. Cauterium ergò isti loco potentiale aptamus, & ad oram spinæ ossis coxendicis escharam hujus tumoris, attemperatè Divina adjuti ope & gratia, incidimus: ex quo actutùm quidem, modicus ichor manare, altero verò, & proximè insequentibus diebus, gilvo & surdo colore (sed honos præfandus est) fœtidissimo ac teterrimo odore, ex infimo ventre scaturientis materiæ, (ignoscant mihi Criticorum filii) ingens vis ἀθρόως profluxit: cujus aspectu & odore ad unum omnes qui præstò aderant, facie aversa & naribus obturatis, obstupescebant,

——— *intentique ora tenebant*;

nec diffiteor ob has circumstantias, & meo arbitratu, non sine ratione, meritò me subdubitasse, sauciata, an salva adhuc esse possent intestina &c. &c. Nihilominus tamen æger hic Nobiliss. ingens levamen, tanto onere levatus mox persentiebat. Interim à primo usque die, quo ad spinam ossis coxendicis arte plagam illi consulto infliximus, in hunc usque articulum temporis, quo hæc scribo, corruptorum humorum, jam fluxorum, jam spissorum, jam aquosorum, jam olidorum, jam omnino non graveolentium, grumis sangvinis nigerrimi, itemque venularum ramentis aut fibris corruptis remistorum purulentorumque, atque adeo quasi cinni alicujus, tanta copia ex ea profluxit, quanta longè superat mensuram sedecim librarum, seu vij vel viij pintharum vestratium Parisiensium: & hæc omnia, hucusq; Dei gratia, servatus Nobiliss. æger ipsus, ac alii adstantes jurejurando interveniente, si necessitas id efflagitaret, aut fides derogaretur dictis, confirmare possunt.

Sed ut, unde exorsa est mea oratio, terminetur in eodem, jam meum est, RIOLANE AMANTISSIME, ceu bonum integrumque arbitrum; porrò ad loci affecti sedem te deducere. Huc facit, quod te celare non possim, jam animi quasi oculis contemplantem Nobiliss. hunc ægrum, ipsum & alios citra exceptio-

ceptionem probatæ fidei testes, unà cum chirurgo sanctè testari, quod cùm prima vice Nobiliss. huic ægro anticum & pectori inflictum vulnus obligaretur, ex eo fibrosæ carnis portiuncula propenderit, quam hiante tunc temporis vulnere chirurgus subsidio suorum duorum digitorum, (contemplare quæso, vulneris *latitudinem musculorum intercostalium & aliorum hîc loci vulneratorum*) argutè in vulnus abdiderit. Huc accedit, quod Nobiliss. hic æger statim ab inflicto vulnere in hunc usque diem indesinenter, quamvis nunquam coactus tussiat, nec orthopnæa laboret, dicat: pectus & præcordia quasi Zona cinctum se constringi undique. Porrò non solùm idem, mox de doloribus vulneris pectori inflicti, sed quoque illos acromium & scapulam veluti exedere, conquestus est: quin & observatu dignum, ad lineam albam ventris & præsertim ad ingvina persentire eum subinde dolores, qui hoc ipso die eum excruciant. Insuper ad diagnosin morbi & sauciorum locorum sedem indagandam facit (quod maximoperè notandum) quod Nobiliss. hic æger, prima vespera, qua sauciebatur præsente chirurgo & aliis adstantibus arbitris ac testibus, non tussiens, sed vomitu (honos sit verbo) purum putum sangvinem, & quidem tanta copia per superiorem gutturem, ut cum Plauto loquar, quanta quatuor cavis manibus hauriri potest, evomuerit; qui in triclinii pavimento neglectus ac relictus post dein in grumos concrescere visus est. Nec reticere possum, primis tribus aut quatuor à vulnere septimanis, incredibilem copiam, viscidæ, lentæ, spissæ, tenacis, spermate ranarum glutinosioris materiæ, sanieque remistæ, noctu interdiu nulla tussi exstimulatum, sed screatu solo perfacilè exspuisse eundem: immo & ego ipse quoque, & mecum unà alii testari possunt, pauculis à vulnere ipsi inflicto elapsis diebus, cum fortè super lasano (verbo sit venia) alvum exonerasset, & id, ad aquæ ductum hospitis, in area ædium à famulis prolueretur, sanguinem ex eo profluxisse unà

——— abditum inter alvi

Urinas scoriasque fœculentas.

Hûc facit, quod sæpiculè Nobiliss. Dn. ægri abdomen intumescat, nec tunc temporis ferre possit, ut hypogastrii & pubis sinistra regio, duriter apicibus digitorum attingatur, idque potissimum usu venire observavi, ubi ex plaga, arte ad spinam ossis coxendicis à me excitata, parcius justò colluvies humorum profluit. Quanta verò copia, & quàm vario colore ac consistentia illa sit, quæ excernitur jugiter, nolo ego iteratò hîc repetere. Quod si ergo liberaliter fertur hæc colluvies, alvus detumescit ilicò; sin secus, dictum factum, de novis, præsertim ad ingven sinistrum, doloribus conqueritur, quos mox capitis dolor vehemens, comes ire, & ad vomitum propensio insequi assolet: Hæc sunt Celebratissime Dn. Riolane, Præceptor ætatem colende, præcipua symptomata, ab 11. Octoris nuperi, in Nobilissimo hoc ægro à me observata, quæ quin

 tibi

tibi rata sint, cum posthabito omni affectu & partium studio, ad dignoscenda loca affecta, abundè unicuique mediocriter in Anatomicis versato, maximè verò, Tibi, Perdocte RIOLANE, Anatomicorum, quantum sunt qui vivunt, exercitatissimo, sufficiant, nullus dubito. Scias interim velim, meum studium & in medendo dexteritatem, quibus inservivi liberaliter Nobilissimo huic ægro, publico rescripto à Venerando meo Socero, *Domino D.* JACOBO FABRICIO, Archiatrorum Regis in aula primario, & cæteris meis Dominis *Collegis* esse approbata.

Verùm enim verò, cum solemne sit omnibus in Regnis ac bene constitutis Rebuspubl. ut in curandis morbis, præsertim chronicis & contumacibus aut periculosis denique, rarò salus & valetudo ægri, uni Medico committantur, sed accersi laborum socii soleant, ut unà operam conferant, & in commune consulant; ego etiam priùs instituta à me & habita publicitus consultatione Medica, quendam nostri Ordinis; dignitatis & conditionis, IX. Decembris, anni pronuper exacti, atque adeò post integras octo septimanas, ab inflicto Nobilissimo Dn. ægro vulnere, mihi jungi, facilè libenterque passus sum, ut magno onere curarum levarer. Hic ergo meus Socius, confisus chirurgica arte, quam præ Medicina profitetur, cum mihi, non dupondio tyroni, sed ab anno ætatis meæ decimo & octavo Anatomica tractanti, simpliciter & obstinatè, accersens in subsidium multos elenchos, tolutiloquentia sua, in faciem pernegêt (testes habeo præter alios Viros, illos Regios Medicos, Dominos collegas meos honoratissimos) primò, diaphragma unquam in hoc Nobilissimo ægro fuisse vulneratum: secundò, nec gladium in conflictu, eheu! ærumnoso hoc, tam altè descendere potuisse, ut occasionem dederit inflammationi, & eam insequenti illi tumori, quem ad oram spinæ ossis coxendicis arte incidendum in dorso curavi, sed affirmatissimè defendat, ceu pugnans tanquam pro aris & focis, abscessum istic loci citra causam hanc externam enatum, musculos coxendicem extrinsecus tantùm investientes, obsidere. Proin ægrè molesteque non feras obtestor Te per fidem & amicitiam nostram, quàm sanctè tot annos fovimus invicem, coluimus invicem, publicis his ipsis meis literis, quàm fieri possit ocyssimè, respondeas, & mihi aperias, quæ tua sit animi sententia, de hac quæstione: *punctim gladio feriatur v.g. Tit. Sempronius, Cajus, vel Lælius, vel alius quispiam justæ staturæ, integræ ætatis & valetudinis Vir, diametro sumpta ab interstitio intercostalium musculorũ sextæ & septimæ costæ veræ, sinistri lateris, isque adigatur supernè ita, ut mucro illius ad os coxendicis usque, aut ad minimum, ad musculos femur sinistrum flectentes, pertingat, an solùm Diaphragma, an verò sub eo, & in abdomine delitescentia intraq; hanc distantiã interjacentia viscera, quoq; unà vulnerari necesse sit, annon?* Certè, ubi ejusmodi συνδρομή, & tanta symptomatũ farrago, cõsideratis ritè omnibus circumstantiis, in aliquo horum observabitur, quanta à me (absit jactantia dicto:) accuratè in Nobilissimo hoc ægro Domino NICOLAO à BUCH-

WALD

WALD observata est, quam hîc loci iterum fusè repetere sciens volensque supersedeo, repetendam altiùs, *Meo arbitratu*, si non datur in rerum natura vacuum, neu penetratio dimensionum, contra rerum omnium naturam adstruenda sit, *apertè rotundoque ore pronunciandum arbitror, & diaphragma, & sub eo delitescentia viscera, sita intra dictam diametrum, necessariò unà cum musculis femur flectentibus punctim percussa esse, unde posteà femoris dolor & coxendicis inflammatio, tumor denique subsecuta sunt,* quæ omnia medelam, admirandi & fidem propemodum superantis vulneris, usqueadeò curatu difficilem faciunt in Nobilissimo hoc individuo, ut si redivivus foret seu Æsculapius; seu Machaon, seu Chiron denique, hic satis haberent, quod agerent: & tamen unus itemque alter perhibet, nescio, quam ob causam aliam, quàm ut studium elevetur meum, penitius non penetrasse ensem, quàm in pectus salvo (contra sensum rationemque omnem) diphragmate: & næ ego egregiam laudē ac chirurgus auferremus, quod tot septimanas, incassum omnibus adhibitis medicamentis, accersitis omnibus in consilium, & Medicis & Chirurgis Regiis, ejusmodi vulgaris pectoris vulneris medelæ impendissemus?

Quos ego; sed motos præstat componere fluctus.

Si verò Soloni perpetuæ est laudi, quòd teste Platone, existimârit, tamdiu discendum esse, quamdiu vivitur, idq; suo ipsius exemplo; erigens caput & aures arrigens, disputantibus inter se amicis, jam moribundus comprobavit; quis mihi, nisi actum esse velim de mea existimatione ac studiis antelucanis, durisque laboribus parta gloria (jactône me?) vitio vortet, mihi, inquam, Deo volente, cis pauculos menses auspicaturo ipsum quinquagesimum ætatis meæ annum, si vel hac mea ætate, sed unico RIOLANO Præceptore, porrò in Anatomicis, licet dudum ex Regia & cedro digna clementissima clementia honestissima vacatio contigerit mihi, & rude sim donatus, erudiri adhuc discupiam. Plurima quidem tibi debeo, Vir Celebratissime DN. JOHANNES RIOLANE, attamen si ad cumulum priorum beneficiorum quibus obniti non potui, hoc unicum beneficium adjeceris, ut sinas in præsens te exorem, ne mihi studio tuo desis, non solùm usque

Dum memor ipse mei, dum spiritus hos reget artus,

grata devotaque mente, omnia illa recolam, sed & de mutuo nostro constantissimo amore, faxo, inter omnes quotquot sunt eruditos constet planissimè. In indicinam verò grati, & beneficiorum non immemoris pectoris, cum imparem tuam erga me & summam benivolentiam, multis exemplis luculenter confirmatam, redhostire nequeam, en accipe, aut potius exspecta proximis Francofurtensibus Nundinis, quam Nomini tuo dicabo editionem meam, Germanico Idiomate, Tabularum, seu JULII CASSERII PLACENTINI, seu DANIELIS BUCRETII antidhac Latino Idiomate SPIGELII corporis humani Fabricæ junctarum: quam in præsens his ipsis præsentibus literis internunciis Tibi dico, donoy

dono, consecro. Quod si verò ante dictas nundinas atque adeò quam fieri possit ocyssimè per tabellarios in celebrius & dispositis equis Parisiis Hamburgum pergentes, beare me tua gratissima responsione ad has meas literas posses, nulla in me erit mora, quin eadem opera qua hæ præsentes literæ, lucem aspicient, proditurae ex officina Gôtziana, illa responsio tua, avidissimè à multis exspectata, quoque publici juris fiat, omnibus legenda.

Hæc sunt, Incomparabilis DN. RIOLANE, quæ ad Te perscribenda duxi. Vale, ac me perpetuum, ut ego Te, ceu alterum Parentem FABRICIUM colo, observo & veneror, redamare perge. Iterum bene feliciterque Vale & Salve.

Dabam in Regia Haffniensi Academia Anno 1652. 10. Jan. st. vet.

T. T.

Usque ad aras & urnam

SIMON PAULLI D. S. R. Maj. aulicus Medicus ac Prælatus Aarhusiensis.

Celeberrimo Viro, & Experientissimo Medico, atque peritissimo Anatomico,

DN. D. SIMONI PAULLI,

S. Regiæ Majestatis Medico Aulico, ac Prælato Aarhusiensi.

Haffniæ Danorum.

Nec Deus intersit, nisi nodus vindice dignus inciderit ———

Difficile negotium mihi imponis excutiendum, ac definiendum, non tamen meis humeris impar, cum sit anatomicum, atque talibus difficultatibus resolvendis sim assuetus. Meritò igitur ad me provocas, & per amicitiam nostram interpellas, ut meum judicium syncerè sine affectu

affectu partium interponam, super diagnosi & determinatione partium vulneratarum. Cùm me arbitrum elegeris, agnoscis in hac ætate senili non oblitam mihi illam peritiam anatomicam, cujus spectator & auditor fuisti in publicis demonstrationibus anatomicis, dum mihi adstabas. Nec repudio istum honorificum titulum quem tribuis Principis Anatomicorum, quem multi exteri non denegârunt, ne quidem tuus Conterraneus, meus quondam Discipulus D. PAULUS MARQUARDUS, qui adversus meum Tractatum de Circulatione Sanguinis nuper scripsit, ut à tribus septimanis didici, exemplari mihi commodato; Ideoque in hoc judicio, quod pronunciabo super ista memorabili historia, & in hoc casu, de quo inter Medicos controvertitur maligna quadam invidentia,

Tros, Rutulusve fuat, nullo discrimine habetur,

Statum controversiæ agnosco ex pag. 2. & 4. tuæ epistolæ: Vir Nobilis viginti quinque annos natus gladio sauciatur, vulnere inter sextam & septimam costas veras, infra sinistram papillam inflicto, duos digitos lato, distante ab eadem totidem, punctim & in abdomen penetrante. Quæritur? an ex consequentia tot symptomatum supervenientium, mucro pugionis vel gladii supernè deorsum adactus ad os coxendicis usque, aut saltem ad musculos femur flectentes, pervenerit; an solùm Diaphragma læserit; an verò sub eo, & in abdomine delitescentia, intraque hanc distantiam interjacentia viscera vulnerari necessum sit, vel non. His omnibus attentè perpensis, & ita positis, ut fert epistola, censeo ab isto gladio profundè adacto intra sextam & septimam costas veras, pulmonem in basi sua propè diaphragma fuisse vulneratum, *simulque Diaphragma in parte carnosa & sinistra juxta ventriculum, qui etiam vulneratus fuit*; & si ultra penetrârit gladius juxta ventriculum lateraliter delatus, intestinum gracile nempe jejunum læsum fuisse, vel ipsum Colum intestinum versus lienem extensum. *Si verò gladius descenderit usque ad lumbos attigisse musculum Psoam, dicatum flectendo femori*, quique complectitur sua carne secundum suam longitudinem usque ad os sacrum, nervorum tàm antici quàm postici femoris ramos, ex quibus conflantur nervi femoris. *Inde manarunt ista symptomata, quæ successere, Vomitus sanguinis, intumescentia abdominis, dolores acutissimi ad coxendicem, impotentia movendi femoris, dejectiones cruentæ & purulentæ, abscessus circa coxendicem*, quia sangvis extravenatus profluens, & à thorace & ab aliis partibus læsis abdominis collectus, & putrescens in abdominis cavitate, vel secundum longitudinem musculi Psoæ, qui inseritur in Trochanterem parvum eò deducta fuit purulentia; vel secundum longitudinem musculi sacrolumbi, versus os sacrum & spinam posticam ossis ilium derivata fuit purulenta materia. Nec mirum si persentiat Nobilissimus æger dolores ad Lineam albam ventris, & præsertim ad ingvina ratione musculorum obliquorum & transversorum abdominis, qui juxta lumbos adhærent, sacrolumbo

lumbo

lumbo musculo. Atque propter ascensum musculorum lumbarium & dorsi, atque latissimi musculi, qui ad scapulas pertingunt conquestus est æger, de dolore acerbissimo in acromio & scapulam veluti exedente.

Quapropter *miror, quomodo alter Medicus arte sua chirurgica confisus, ausit asseverare Diaphragma nunquam fuisse vulneratum, nec gladium in conflictu tam altè descendere potuisse, ut occasionem dederit inflammationi, & eam insequenti tumori, quem prudenter aperuisti, natura monstrante viam.* Nescit ille, pulmonis vulnera in parte exteriore & infima non esse lethalia, & facilè curari; Diaphragma in parte carnosa perfossum non esse insanabile; quin etiam ventriculus vulneratus sanari potest, ut multoties vidi, & habes exemplum Cultrivori Prussiaci; quin etiam intestinum colon carnosum vulneratum vidimus & sanatum. *Denique ut in morbis monstra eveniunt, sic in curationibus morborum, miracula sæpe contingunt.* Sed valdè metuo, ne tandem tabes coxaria Hippocratica Nobilissimo ægro succedat, vel caries in osse sacro spongioso, foraminulento ab exortu nervorum. Plura non addo, atque tuæ petitioni me satisfecisse puto,

Scriptum Lutetiæ Parisiorum, Anno Domini 1652. die 10. Martii,

Tuus ex animo tibi devinctissimus,

RIOLANUS, Antiquior Decanus
Scholæ Medicæ Parisiensis.

P.S. Si placet mihi rescribes: an D. BARTHOLINUS in lucem ediderit Vindicias Anatomicas, & librum de antiquitate Puerperii; & legi, D. FABRITIUM Archiatrorum in Aula Regis primum, quædam in arte nostra scripsisse; nunc totus sum in editione secundæ partis Enchiridii Anatomici, quod intra unum aut alterum mensem lucem videbit, est in parva forma excusum, si desideras ad te mittam. Si habes Holhaffii, Anatomica, & mihi transmittere potes, rem pergratam facies

ΣΥΝ

ΣΥΝ ΘΕΩ
Celebratissimo VIRO,
DN. JOHANNI RIOLANO,
Parisiensi, Anatomicorum Principi, Præceptori suo S. P. D.

Esto bonus miles, tutor bonus, arbiter idem
Integer, ambigua si quando citabere testis
Incertaque rei ——

ULtimum hoc, accuratissimo judicio tuo interveniente, ad votum eruditorum cùm abundè explêris, rogatus sententiam, super memorabili ista historia Chirurgica, de qua pronuper prolixissimas ad Te dedi literas; proin quoties grata mente, tua in me confertim collata beneficia recolo, (recolo autem persæpe, domi, foris, privatim, publicitùs) toties ejus diei quoq; memoria sacra mihi erit, quo hac tam grandæva ætate tua, studium officiumque tuum mihi non defuit. En ergo redhostimenti loco obfero tibi eundem illum animum, illiusque candorem, quo non solùm coram te, in oculis; sed absens Te Præceptorem, sancti Parentis loco, ad urnam usque colam, observabo, venerabor, ut ob hanc erga te Pietatem, optimi quique olim, mihi quoque comprecentur,

—— *tenuem & sine pondere terram*
Spirantesque crocos, & in urna perpetuum Ver.

Certè illas ipsas tuas literas ceu testes nunquam intermoritura nostræ amicitiæ, ego in sinu; quas inter alias publici juris factas, DEO volente propediem videbis, JULII CASSERII PLACENTINI Tabulas ex Latino in Germanicum translatas, nomini tuo & honori dicatas, ubi Lutetiam ad Te misero. Quin vel culter tuus anatomicus, dono coràm mihi datus, rubigine minimè obductus est, sed

—— *cuspide fulget acutâ.*

& auro adhuc charior est, nec minoris æstimo, quàm Lucianus Syrus Epicteti lucernam æstimavit, quam illius ob autoritatem tribus drachmarum millibus veniisse accepimus. Quòd si verò, quam ultrò benignissimè mihi promittis, secundam partem enchiridii tui anatomici commodè & curriculò possem participare, inscriptione manus RIOLANI dono mihi datam, næ, ego consveti amoris novum fascinum aut Philtrum (si his vocabulis in tam *clara re utendum est*)

 obtine-

obtinerem? BARTHOLINUS noſter, Vir, mecaſtor, eruditiſſimus, Amicus meus ſummus edidit quidem, quas deſiderare videris Vindicias Anatomicas, ſed grandior craſſiorvè liber eſt, quàm ut Tabellariis celeribus hinc ad Vos euntibus & redeuntibus concredi poſſit. Exſpectabis interim eundem ad Te perferendum, eadem opera & commoditate, qua Germanicæ Anatomicæ CASSERII Tabulæ, de manu *Monſieur Pierre Formod Marchand banquier demeurant à la rüe St.Denys*, in manum tuam tradentur. Idem noſter BARTHOLINUS librum de Antiquitate Puerperii nondum edidit, ſed cum magno illi operi quod adornat, ſynopſin, inſtar Prodromi præmiſerit, en Tibi eam his literis incluſam. Fruſtra es, Incomparabilis Domine RIOLANE, Præceptor ætatem colende, ſi quidquam à ſeculi hujus altero quaſi HIPPOCRATE, Socero meo Venerando DN. JACOBO FABRITIO, Archiatrorum primo, ætate quinque vel ſex annis Te majore, quicquam in lucem edi putes, ſemper averſato multorum ſcribendi cacoethes inſanabile, quem antidhac nunquam exorare potui, ut ad calamum Diſcipulis ſuis dictitatas, Practicas & Chymicas exercitationes publici juris faceret; quippe à quo nunquam ego, jam, DEI gratia per ſeptendecim annos, illius Gener, aliud reſponſum abſtuli, quàm hoc: *Mundum ſat habere librorum, ſeque ſtare à partibus magni illius CAPIVACCII, ſtatuentis; Arcana Medicæ artis medendi eſſe Methodum.* Et meritiſſimo ſuo, Catonem majorem imitatur; Etenim, ut hic, cum videret multis poſitas ſtatuas, maluit, homines quærere; Cur Catoni non ſit poſita ſtatua, quàm cur ſit? ita ille ſatius eſſe putat, homines quærere: cur nihil edidit FABRITIUS, quàm, cur quicquam edidit? Sanè

Scribimus indocti doctique ————

Et quorum tandem, immo etiam vel eruditiſſimorũ labores, lampada & oleum redolentes, non vexat ſæpicule, palato magis quàm corde ſapientium (*ut ita cum Catone loquar*) hoc ſeculo, iniqua cenſura? Mavult ergo Venerandus meus Socer, iſtorum naufragia, veluti ex muro proſpicere, aut ex terra intueri, quàm communem cum iis ingredi navim, jacturamque apicis ſenectutis ſuæ, ſeu autoritatis facere: cupiens, inſtar Ciceron. ad Atticum cum Sophocle

———— καὶ ὑπὸ στέγῃ
πυκνᾶς ἀκούειν ψεκάδος εὑδούσῃ φρενί

Perlibenter verò gratificarer Tibi, in transmittendis OLHAVII anatomicis, ſed DEUM teſtor, apicem aut feſtucam illorum me non poſſidere. Cæteroquin tui amore periclitabor, an Gedano ſeu Dantiſco, ſi forſan iſtîc loci veneant, comparare mihi, DN. LAUREN. EICHSTADIO, Amico meo honorando procuratore, in tuos uſus queam. Plura non addo, ſed Te celebratiſſime Domine RIOLANE etiam atque etiam valere jubeo. Dabam in Regia Haffnienſi. Anno 1652. menſe &c.

SIMONIS

SIMONIS PAULLI
Consilium Medicum,

Quo

Generosissimus ac Nobilissimus quidam Heros,
Patriâ Megapolitanus,
cum Anno M DC LXVIII. Lutetiæ Parisiorum.

APOPLEXIA ET PARALYSI

correptus esset,
ex sententia, magno Amicorum applausu, ac ingenti
animi prolubio, DEO Benedicente ab iis,
vindicatus est

PLATO *in Epistola ad* ARCHITAM TARENTINUM.

Illud Te considerare oportet. Nullum nostrum sibi soli natum esse, sed, ortus nostri, partem sibi Patriam vindicare: partem Parentes: partem Amici.

Generosissime ac Nobilissime Heros, Domine Popularis honoratissime

POstquam cis pauculos dies, Quidam, Nobili prosapiâ, cotidiè S.R.M. aulam frequentans, Regius Minister ex Gallia redux, Tui amore, secretò & mihi quasi muto, sub fide summi silentii, lugubri animo retulit *Generositatem Tuam*, eheu! Lutetiæ Parisiorum apoplexia fuisse correptam, quæ in Paralysin degeneraret, Teque balbutire insuper: Non diffiteor, dum in dubio mihi erat animus, parvo momento, huc atque illuc, eundem fuisse impulsum, usque dum in eam devenerim sententiam expedire, ut studium Tibi, Domino Populari meo, non de-

 esset,

esset, ac re ipsa illud præstarem, quod CHRISTUS præcipit, nempe, *ne diligamus nos verbo, neque lingua solùm sed opere & veritate.* Cum ergò compluscalis abhinc annis, mihi *Generositatis Tuæ* corporis constitutio, illiusque vitæ genus, nota essent; eam in Galliam ac alias exteras Regiones contendentem, dedita opera coram commonefacere volui, angue ac cane magis fugeret procatarcticas causas, quæ Apoplexiam excitare possent, ad quas omnes recensendas, neque locus hic, neque tempus vacat; cum *Generositas tua*, expedito consilio, non verboso indigeat. Absit interim eò proterviæ me abire, ut consilium non rogatus, conspici possim, quasi meum consilium, præsentium omnium Medicorũ, medelæ tuæ præfectorum, præferrem, (quos inter, si Dominus GUIDO PATIN, quoque valetudinem tuam curat, enixe rogo, ipsum ceu veterem meum amicum, meo nomine plurima salute impertias) hac interea spe fretus, non fore, ut cum, DEO sit gratia, praxi medicæ per ipsos triginta & sex annos fuerim deditus, ac illius benedictione, aliquam multos apoplecticos, & paralyticos, pristinæ valetudini restituerim, illi spernant meum consilium; vetus cum verbum sit, *sæpè vel Olitorem, oportuna fuisse locutum.*

Mea ergò hæc est ratio, & sic animum induco meum, *primò* id esse studendum, ut, vel Natura, vel Arte v.g. usu clysterũ domesticorum, nempe ex lacte & saccharo jusculis gallinaceis; oleo amygdalarum dulcium; ptisana, paratorum servetur alvus laxa; Insigniti autem hi clysteres hoc nomine ideo sunt, quod quilibet pater familias, domi suæ ex facile parabilibus, citra consilium aut auxilium Pharmacopæorum, in casu necessitatis, eos parare queat. Qui interim sæpiculè efficaciores, pretiosioribus sunt: Natura simplicibus gaudente.

Secundò. Nullus dubito, (quippe toti orbi id notum, quod nullæ Nationes totius Europæ, frequentius phlebotomias, quàm Gallica ac Hispanica in morbis imperent) quin in hoc difficillimo casu & vita ancipiti, tempestivè quoq; eæ fuerint imperatæ. Ast in ejusmodi casibus non sufficit, ut semel atq; iterum, brachii vena, & quidem solùm unius lateris, incidatur, sed aliquoties hæc venæsectio est iteranda. Dico non sufficere unam itemq; alteram venæsectionem; Qui DEUM & conscientiam meam testor, & quidem ita ut *mentem injuratam non geram*; Quod post lectionem CORNELII CELSI, & celeberrimi Itali ab AQUAPENDENTE inventionem, valvularum in venis; nec non toti Orbi quoqe noti Anatomici Celeberrimi HARVEI Britanni inventam circulationem Sanguinis (aureum meritissimò id appellandum inventum) tot annos ut innui medicam praxin exercens, compererim, maximè expedire, imo summoperè necessarium esse, ob indigitatas venarum valvulas, & circulationem Sanguinis, Apoplecticis Plethoricis, ideo in latere affecto venam incidere: quia illorum sanguis, justò copiosior ac crassior, quàm convenit aut decet, sese non penetrare in arterias multò minus, ita circulari queat, ut Natura exigit [ut taceam Incomparabilem Anatomicum

tomicum ac Medicum CASPARUM HOFMANNUM defendere: *Falsissimam esse hypothesin, Apoplexiam provenire à frigidis melancholicis humoribus*: *Quin est*(inquit lib. 2. de medic. officin. Cap. 190. p. 549.) *à sanguine laudabili, copia obstruente* torcular Cerebri, *unà cum adjacentibus sinibus & ductibus dictis. Hoc cum ante biennium accideret genero meo* D. ANDREÆ LAUXIO, *& juberetur Medicus adhibitus ostendere, Melancholiæ signum*, OBMUTUIT] Atque ob has causas usu venit, ut paralysis insequatur Apoplexiam, non ob defectum sanguinis aut spirituum, sed quia sanguis & spiritus intercepti sunt, nec venas neu nervos, ut par est, irrigare ac illustrare queant; hinc Paralytici frigent, nec membra movent. Ast dubio procul, quotquot sunt, vetustissimæ ac celeberrimæ Academiæ Parisiensis, Medici impugnabunt hoc meum dogma, pronuntiaturi, quod id contrarium sit HIPPOCRATIS ac GALENI dogmatis. Esto. Sed & illi recordabuntur: Nec HIPPOCRATEM neuve GALENUM, superfuisse adhæc usque tempora, Quibus AQUAPENDENS & HARVEUS, inclaruerunt, ob inventas valvulas, & circulationem sanguinis, qui nos, & alii nobiscũ Anatomici præ manibus habemus, SENECAM, *dum is Natural. Quæst. lib. 7. cap. 25.* litem hanc his verbis dirimere videtur, inquiens: *Veniet tempus, quo ista quæ nunc latent, in lucem dies extrahet, & longioris ævi diligentia.* Atque ita Authoritas Authoritate, & quidem incassum oppugnatur. Nam DEO benedicente, omnia ratione & experientia intervenientibus, ex sententia in praxi medica assequimur. Ut taceam CORNELIUM CELSUM testari; *nec agricolam quidem, aut Gubernatorem disputando fieri*: Ac CICERONEM docere: *Nihil esse simul & inventum & perfectum.*

Tertiò admoneo, ubi omnia præcedentia observata & administrata sunt, expedire, imò oppidò necessarium esse, ut ob læsam linguam, *Generositas Tua*, patiatur sibi semel, atque iterum, raninas venas sub lingua incidi. Præsertim autem pridie ante Lunæ Quadraturas. Sed observetur ut affatim profundant sanguinem, ad quam enchiresin ritè administrandam, solers manus requiritur. Sed perpauci chirurgorum sunt, qui norunt eas ita incidere ut convenit; quo in casu præstat præferre scalpellum chirurgicum lanceam repræsentans, illi, quod securim. Insuper, testandæ, erga *Generositatem Tuam*, benivolentiæ, moneo, omnimodè id esse studendum, ut solùm venæ raninæ, sub lingua incidantur, arteriis eas comitantibus evitatis aut illæsis: quas cum quidam Chirurgus Rostochi, compluscul is abhinc annis conjugi meæ desideratissimæ p. m. ELISABETHÆ FABRICIÆ, incautus abrupisset, unà cum venis, dici non potest, quantus apparatus medicamentorum, tum temporis, in arterioso isto sanguine sistendo, requirebatur.

Quartò velim, ut, priusquàm ad topica abeatur medicamenta, *Generositas Tua* non spernat, sequentium medicamentorum descriptiones, quas *ceu Sac. Reg. Maj. Daniæ ac Norvvagiæ Hæreditarii Regis ac DN. DN. nostri Clementissimi* fidissimo mini-

 stro ac

ſtro ac populari meo, lubens meritoque ſufficio aut hic communico, ſed hac lege atque omine, ut eas Dominis Medicis Pariſienſibus quos conſulit, legendas tradat, ut ii præſentes decernant num expediat, pro re nata, ut *Generoſitas Tua*, iis medicamentis utatur vel non. Primo ergò loco præſcribo & commendo, hanc miſturam ad internos uſus, Signat. lit. A. *miſtura cephalica ad internos uſus*; Quæ ℞. Aquæ hirundinum compoſitæ. Tili. lilior. convall. cum vino an. ℥ij. Spiritus ceraſorum nigrorum ℥j. Spirit. Caſtor. ℥ß. Specier. Diamb. Diamoſ. dulc. ana ʒj. Spiritus Cranij human. vitriol. ex deſcript. DN. SENNERTI ʒß. Syrup. de Pæon. q. ſ. miſce. S. ut ſupra. Cujus *Generoſitati Tuæ* placeat, tantum ſorbere ſingulis vicibus, quantum duo triave cochlearia capiunt; & quidem manè circiter ſeptimam aut octavam; veſperi verò circiter quartam & quintam; denique dormituræ totidem. Quin & *Generoſiſſime Domine*, Tibi placeat, aquâ lit. B. ſignata *Aqua cephalica ad externos uſus*, linteolo aſperiori, ſeu uſu non attrito, in ea intincto & madefacto, frontem, verticem, ſagittalem & coronalem ſuturas Cranii; utraque tempora; nec non utraque colli latera, ubi aſpera arteria ſub maxilla inferiori ſita eſt, probè ſibi perfricari; quin nares quoque per intervalla, ſed non ſimul ac pranſus aut cænatus eſt. Aquæ autem dictæ hæc eſt deſcriptio, ℞. Aquæ Cephalic. Carolin. ℥vj. Spiritus Caſtor. ℥j. miſce. Sig. ut ſupra.

Quintò Generoſitas Tua, ſummoperè ſibi commendatam habeat ſuadeo, Aquam lit. C. Sig. *Aqua ad externos uſus pro ſpina dorſi*, cujus hæc eſt deſcriptio. ℞. Aquæ liliorum convall. cum vino, Salviæ cum vino. ana. lib. ſ. pond. Civil. Caſtor. præping. demptis membran. in taleolas minutulas concis. ℥j. ſtent. in Digeſtion. Ciner. calidor. per ſex horas, poſtea detur fortiter expreſſum pro uſu. Sig. ut dixi. Qua ipſa tepefacta manè quando ſolita hora evigilat, itemque veſperi, ſtata hora lectum ſibi ingreſſuræ, ſpinam dorſi, à nucha uſque ad os ſacrum & os coccygis, ad palmæ latitudinem, linteo in ea intincto, inungendam curet, & quidem ad foculum menſarium aut cubicularium, utraque prunis repleta: quo factò expedit linteis convenientibus fovere univerſam dorſi ſpinam ubi prius ſtudioſè, gummi Anime in fruſtis, (cujus energia cæteroquin admiranda, in deſtillationibus podagricis) infumata ſunt.

Ultimò, cum longa experientia, imò vel ab heroicis uſque temporibus conſtet, quantum Caſtoreum, quocunque modo uſurpatum, in capitis ac nervoſi generis, morbis valeat, uſque adeo, ut ſi Caſtoreum eos non abigat, ii pro immedicabilibus habeantur: (Atque hinc Itali, ut à quodam meorum amicorum intimo accepi, ipſus cum in Italiam non pervenerim, caſtoreum appellant: *Il pacificatore generale del corpo*) non gravabitur *Generoſitas Tua*, illius fruſtulum, piſi Italici ac majoris, magnitudine, detractis pelliculis, jugiter ſubdere linguæ, nec id permutare, uſque dum adhuc id ſapidum. Et ego magna fiducia in DEUM; confido;

confido; qui antidhac hîc loci sæpiculè, operi manuum mearum, clementer benedixit, in ejusmodi casibus, quoque fore, ut *Generositati Tuæ*, huic meo suppeditato consilio, ex fido pectore deprompto, clementer benedicat. Interim id, Celeberrimæ Parisiensis Academiæ Medicorum, imò omnium Europæarum Academiarum P.P. censuræ, subjicio: Eos obtestans sine partium studio, decernant, probè vel secus faciam, quod subsidio anatomici studii, condocefactus sim, contra communem, (ut ex hoc meo consilio & aliis meis commentariis constat) mederi Apoplecticis. Vale *Generosiss. ac Nobiliss. Heros*, qui tibi tuæque familiæ fausta ac felicia omnia comprecor, ac præsertim, ut DEO propitio, actutum recuperes pristinam valetudinem, Tuque ætatem familiæ Tuæ Nobilissimæ salvus & incolumis præluceas. Etiam atque etiam vale & salve.

Hafniæ Anno 1668.
28. *Novemb.*

Generosit. Tuæ
addictissimus
usque ad aras & urnam

Simon Paulli D.

Aliud
Pro
PUERULO BIMULO PARALYTICO.

CUm, Anno 1672. tertio Septembr. ad N.N. patria Hispani, civis Antwerpiensis filium necdum bimulum dentientem, ac de improviso, paralysi totius dextri lateris artuum, sensu tactus integro, correptum vocatus essem; solicitius, ut par erat, singulari hujus affectus causas ego indagare, ac interrogare parentes, anne antidhac, vel dum dentire occepisset primulùm, filiolus, epilepsia fuisset correptus; parentibus id constanter negantibus, sed ultrò fatentibus, insignitè iracundum, tale quid pati: Cum vero sponte sua erupisset par dentium incisoriorum inferioris maxillæ; gingiva autem superioris maxillæ; eo loco oppido tumeret, qua gelasinorum par, una cum Caninis erupturum esset; Utique jussi, ut accersitus Chirurgus JOHANNES nomine, quàm profundè posset, scalpello myrtiformi gingivam proscinderet; quod consilium quoque, ex sententia successit: larga quippe insequenti

quenti hæmorrhagia, vagitu omni morosissimus pusio, dictum factum abstinuit, sensibus omnibus omninò integris. Cui interim, post usum Clysteris ex lacte, floribus cammomillæ, tantillo carvi seminis, & sacchari Thomæi parati, præ formidine insequuturi epileptici paroxysmi, hunc pulverem, unà cum appropriata aqua, præscripsi; quibus aut potius similibus, DEO benedicente, quam plurimos puerulos, vel à gravissimis insultibus epilepticis vindicavi, quorum hæc est descriptio. ℞. C.C. philosoph. præparat. ʒß. Ungul. Alc. philos. præparat. fæcul. pæon. an. ℈j. cranii human. philos. præp. ℈ß. Salis volatilis ejusdem. gra. vij. Manuum Christi perlatar. quartam partem ad pondus omnium; fiat. l.a. pulvis, cujus quilibet scrupulus detur seorsum in chartâ. Misce. ℞. Aquæ lilior. convall. Tiliæ. sine vivo. an. ℥iij. Hirund. compos. spiritus Cerasorum an. ʒij. Misc. Quin & ob paralysin, totius dextri lateris pueruli, raro exemplo, subsequutam sive dentitionem, sive iracundiam ejusdem, conducibile ratus sum, præscribere illi hoc infusum (valde mihi familiare & usuale in nervosi generis affectibus) quod ℞. Aquæ lilior. convall. Salviæ cum cum vino ana. lib. sem. p. c. Castorei præpinguis, in taleolas minutulas concisi. ℥j. stent in digestione in cineribus calidis, per sex horas, postea detur infusum fortiter expressum pro usu: Quo jussi non perfunctoriè, nec levi brachio, linteo asperiori imbuto, perfricarent spinam dorsi & artus; post dein eam & artus foverent, linteis gummi anime probè fumigatis & DEI gratia ac benedictione intervenientibus, à tertio Septemb. in 12. diem, hujus anni, atque adeo spatio decem dierum, integræ valetudini restitutus hic infans est.

Consilium

Ad

Celeberrimum quendam in Germania

Medicum Practicum,

CONTRA SCORBUTUM

paulo auctius, priori ad Ipsum

à

me perscripto autographo.

Nobilissime Domine

QUod Tibi placuerit, pari honore me dignari, quo compluscculis abhinc annis, Præceptorem meum vivum JOHANNEM RIOLANUM, prosequutus sum, Regius CHRISTIANI QUARTI, *Regnorum*, DANIÆ ac NORWAGIÆ *gloriosissimæ memoriæ Regis*, Medicus; arbitrum il-

trum illum statuendo, in difficillimo, fastis dignissimo, rarissimoque anatomico casu, ut ex historica mea relatione, ad ipsum constat, sumptibus *Matthiæ Götzij*, Francofurti An. 1660. edita, hoc nomine *Excellent. T. inclutissimæ famæ Medico*, & quidem hac tua ætate, ingentes, ago & habeo gratias, cum tuis perbrevibus quidem, sed benivolentia, & summo studio plenis ad me datis literis, videaris, me, ut ego RIOLANUM (qui cum comparandus non sum) elegisse arbitrum, aut censorem, scire dum aves, quid decernam; de fastis quoque dignissimo & rarissimo casu medico: dum Viduus quidam LIII. annorum, *crasi corporis sanguinea, calida & humida, constitutione totius satis robusta, per aliquot abhinc annos, quotidiè per urinas filamenta fundum petentia, conglomerata ad motum se dividentia &c. &c.* excernat.

Sed EXCELLENTISSIME VIR, nostri vetus verbum esse; *Ut desint vires, tamen esse laudandam voluntatem.* Quippe ego jam defloccatus, & propemodum capularis senex, quintum supra septuagesimum agitans ætatis meæ annum, vix suppar sum, sagaci conjectura mentis, enodandis conglomeratis illis filamentis, quæ graphicè sive depingis sive adumbras, quique scire discupis, cujus morbi effectus sint.

Citra ergò ullum partium studium, salvisque omnium in hoc casu consultorum Medicorum, sive punctis sive judiciis eminus decerno:

Scorbutum in causa esse, & ad illius medelam, necessariò antescorbutica & requiri, & necessariò esse usurpanda; idque statuo, partim authoritate vivorum Præceptorum, FABRICII *Soceri mei &* ARNISÆI *Archiatrorum Regiorum, & in arte nostra Rosciorum*, ut aliorum, qui perdoctè in Scorbutum commentati sunt, brevitatis studio, verbulo non meminerim; partim propria experientia id doctus, dum DEI Gratia & benedictione, jam per quadraginta & octo annos, praxin medicam exerceo. Hinc posterior illorum indignari, ac acerbè satis, vehementerque, in illos Medicos invehi solebat, qui in contumacibus morbis, etiamsi nullæ maculæ, in cute efflorescerent, antescorbutica negligerent; Nam iis conspicuis, aut cutem fœdè deturpantibus (ajebat) *vel Rusticum Corydonem, stivam Aratri moderantem, novisse Scorbuto, Septentrionalibus his in Regionibus, ac earum accolis aut confinibus* v.g. ad Albim, Mœnum, Rhenum &c. sitis *Raphano suo Rusticano mederi*; cujus authoritate inductus, in Quadripartiti mei Botanici, secundæ editionis, in historia Chelidonii majoris pag. 46. 47. *Nobilissimæ Anglicæ Nationis in honorem*, consilium dedi, ut si velint vindicari, à Tabe Anglica Endemia (in quam cæteroquin, THEOPHILUS GARENCIERS *nomine aut titulo, Angliæ flagelli, seu Tabis Anglicæ* An. 1647. commentatus est) anniterentur eam antescorbuticis profligare.

Verum enim verò CELEBERRIME VIR, hæc ita se habeant, ut retuli, non intercedo tamen me, post inventionem valvularum in venis, sangvinis item

circulationis; denique vasorum lymphaticorum,admodum nuperam, sciscere, ceu paradoxologum, longè aliter de nonnullis morborum causis ac locis affectis, esse decernendum; itemque longe alia methodo, quibusdam in casibus. v.g. in Apoplexia, podagra &c. decere nos hodiè, subsidio anatomes mederi ægris,quàm olim,vel ab *Arabibus vel Græcis*, nos docti sumus. Et cui usui essent, tot tantorumque Celeberrimorum prioris ævi,& præsertim hujus aut proximè præcedentis seculi Europæorum Anatomicorum labores improbi,& nunquam satis laudata studia, si eorum subsidio, Medicinæ practicæ Doctores, face ipsis, Anatomicorum quasi lacertis in tenebris prælata, aut prælucente, non condocefierent, deinceps artem suam, per illa illustrare, & perficere, aut sagaci mente, opera, studio, labore in eo laborare, ut salutem civium, aut omnium mortalium potius procurarent? *Salus* etenim *populi suprema lex esto*, vetus verbum est. Titivilitio namque,aut vitiosa nuce, omnia illa non emptitarem, si ita mihi,hîc loci,his in literis, publici jam juris factis, sine contemptu aut probro, ullius mortalium loqui liceat. Quippe magnæ dividiæ plena res esset; cruentatis aut tabo collutulatis manibus, eviscerare cadavera,stacten aut myrrham non redolentia; mox aquilinis oculis, eorum exta seorsum inspicecere ac ruspari; post dein deartuare, aut proscindere eadem penitus, ideo solum ut eviscereinus, & exta eorum inspiciamus &c. &c. &c. Et quot labores Anatomicorum incassum reciderent! Quod *oleum* re vera *esset, & operam, perdere.*

Quare posthabita Empiricorum turba, qui procul hinc, ceu profani absint ac exulent, aqua mihi dogmatico Medico hæret, quid tam de causa, quàm loco affecto, ego decernam, conglomeratorum filamentorum (visu quod rarissimum spectaculum & observatu dignissimum est exemplum) *urina non fœtente, quæ nec unquam, purulentam exhibuit materiam,* quorum causa ad me dedisti literas: sed procul dubio,hæc ipsa filamenta, ex corrupta lympha, in vasis suis lymphaticis, *Viri Castimoniæ dediti, ceu Venere in totum abstinentis,ab annis viginti & ultra, ætate quinquagenarÿ,* circulationis sangvinis beneficio, ex renibus minimè purulentis,in vesicam per ureteres, ceu aquagia,una cum Urina profluxerunt. Ast digitum quidem ad lympham, aut illius vasa intendere possum, sed cum ob ætatem meam grandævam, illa enucleatius exhibere prohibear; meditor DEO volente, ob publica commoda, quæ unumquemque bonum civem, movere debent, devolvere has partes, *ad Regiæ hujus Academiæ Antistites* BARTHOLINUM & BORRICHIUM, *morinesios*, ut in honorem nostræ Patriæ, mihi (quod citra jactantiam, neu pro imperio dictum velim) suppetias ferant, instar Herculis alicujus, mihi non Atlanti interim, sub onere novissimi & gravissimi dogmatis, laboranti. Quod meum studium attamen, Medicinæ alumni, omnium Nationum, passim habitantium, æqui bonique consulent, simul

simul ac secundam editionem commentarii mei de febribus malignis, propediem DEO volente & adjuvante in publicum prodituram participabunt; cujus divinæ tutelæ ac protectioni, Te CELEBERRIME VIR, discipulum meum antiquum (*agnoscis Tua ipsius scripta verba*) tuamque universam prælustrem familiam, devotissimo pectore commendo. Etiam atque etiam vale, ac me meosque redamare perge. Dabam in Regia Haffniensi Academia An. 1677. 6. Novembr.

Excellent. Tuæ

usq; ad aras & urnam addictissimus

SIMON PAULLI D.
Trium Serenissimorum ac Potentissimorum
Daniæ ac Norwagiæ Regum Medicus,
ætatis meæ septuagesimo quinto

FINIS.



DEO SOLI HONOS ET GLORIA.

SYLLABUS AUCTORUM ALIORUMQUE

in hac

DIGRESSIONE DE FEBRIBUS ET APPENDICE

memoratorum.

Corne-

Franciscus

INDEX RERUM AC VERBORUM NOTABILIORUM.

A.

Anima-

B.

F.

G.

H.

Herbæ

I.

K.

L.

M.

N.

Nitrum

Q.

R.

Sangui-

T.

U.

V.

Verno

Z.

ERRATA TYPOGRAPHICA

Quæ ob Authoris abſentiam paſſim irrepſerunt

è binis numeris, *primus* Paginam, *ſecundus* Lineam; *numerus* vero *abſolute poſitus* Lineam ejusdem Paginæ denotat.

Litera l. ſignificat *lege.*

Pagina 2. linea *antep.* lege: *cubiculum.* 3,12. l. *reſilirent.* 18. l. *coquendæ.* 27. l. *cubiculum.* 7,20. l. *aſſumpſerit.* 32. l. *facile.* 8,18. l. *cum ſulphur.* 9,2. l. *defæcata.*

P.10,25. l. *accidenti.* 14,11. poſt *erit* adde: §.68. 15,30. l. *putidum.* 16,36. l *in ictericorum.* 17,1. l. *ſunt.* 18,32. l. *eæ.* 19,7. l. *Naturæ.* 15. *proin de iis.*

P.22,14. l. *juvat.* 25,20. *gangræna.* penult. l. *præclaræ.* 27. ult. l. *inſigni.* 28,6. l. *quâ.* 25. l. *ipſemet.* penult. l *conveniunt.* 29,34. l. *phreneticis.*

P.30,6. l. *jugularem.* 28. l. *maxillares,* 31,7. pro *pare.* l. *præter naturam.* 24 l. *infeſtatorum.* 34. l. *aſt ſputo.* 32,14. l. *conſtitutum.* 33. ult. l. *calidum.* 34. ult. pro *enim.* l. *eidem.* 35,2. l. *ſpirituum.* 14. l. *deſcriptos.* 17 l. *particularum.* l. 23. *palpitatio.* 36,26. l. *anguſtioris.* 37,14. l. *aggerem.* 21. l. *Quam.* 38,2. dele. *ne* 6. l. *ſerô.* 7. l. *exercitationum.* 29. l. *Naturam.* 32. *dorſum.* 39,25. l. *labium.*

P.40,25. l. *hucusq;.* 41,21. l. *ἰατρός.* 32. l. *indicibile.* 44,19. l. *pium.* 22. l. *Philalethes.* pen. l. *inſicientia.* 46,13. *ſerô.* 47,9. l. *ῥυθμὸν, ἄῤῥυθμον.*

19. l. *quis.* 35. l. *corpore.* 37. l. *exedere.* ult. l. *exeduntur.* 48,21. l. *non eſt hic.* 49,23. l. *caſpitare.*

P.50,9. l. *alis.* 51,1. l. *taceam.* 20. l. *Human.* 52,17 l. *interſeptum.* 29. l. ſie ſich nicht. 53,19. l *figis.* 21. l. *ebullitionem.* 22. l. *abhinc.* ult. *quoquo.* 55,20. l. *periculis.* ult. poſt *paſſerculi* adde *balenæ ac funduli.* 56,19. l. *quemquam.* 58,11. l. *inter.*

P.62,12. l. *cernere* 20. pro *aut.* l. *ut.* 63,8. l. *aliquot.* 12. l. *Oldenburgenſis.* 64,36. dele *ea.* 65,19. l. *ut alias ad dif.* 66,23. l. *infi.* 69,13. l. *Quis.* 26. l. *ac.*

P.71,14. l. *Corripiatur.* 74,19. l. *facit.* 75,6. l. *cubiculo.* 24. l. *ipſoq;.* 35. l. *pice.* 76,12. l. *olo-* 78. *ſanguis.*

P.81,6. dele *conjunctiſſime.* 7. poſt *illis* adde *conjunctiſſime.* 83,2. l. *aut ex illius.* 84,2. l. *licet unicuique.* 24. l. *æſtimans.* 86,30. l. *facie.* 88,33. l. *dentatos.* 89. ult. pro *hinc* l. *hæc.*

P.92,10. l. *corrupti.* 34. l. *probabimus.* 93,2. l. *quicquid.* 5. l. *conſopita.* 94,28. l. *caliditate, ſed caliditate cum.* 95,26. l. *præponenda.* 96,19. l. *ger.* 20. dele. *niſi.*

P.101,7. *abſtruſos.* 19. l. *neque.* 105,11. l. *pretioſis.* 107,27. l *inficere.*

P.115,4. l. *illam.* pro *illamq;* & *illamq;* pro *illam.* 23. l. *temere.* 116,5. *vomituritiones.* 9. dele. *ut* 118,1. ſaltem in aliquib. exempl. l. *dum ſcribit: ſciendum catha cticis.* 10. l. *ſubdole. quia.* 34. l. *mortes* 119. anpen. l. *gemmisque.*

P.123,20. l. *fruſtatim.* 125,30. l. *præſentius.* 126,1. l. *potuiſſe.* 14. l. *apprehenſo.* 128. 17. l. *currentibus.*

P.131,2. l. GREGORIUS. *Archiater.* 30. l. *πτυλαγώνον.* 133. penult. poſt. *MATTHIOLO* adde *relata.* 134,5. poſt *naturalium* adde *indagandam.* 6. l. *ulterius.* 29. l. *ſubſcri-* 135,25. l. *Regiâ.* 136,22. l. *omnia.* 34. l. *propter.* 138,10. pro *ſed.* l. *ſal.* 19. l. *ſuſpicio.*

P.142,26. l. *quos.*

P.160,11. l. *vino.* 161,12. l. *noſti.*

Si qua vero adhuc lævicula errata correctoris lynceis oculis ſeſe ſubduxerunt, non correcta, ea *Lector Benevolus*, ſponte ſua corrigere rogatur.